

Q. K  
431,  
39.

B. C. D.

II c  
1200

*Dissertatio Historica*

DE

X1860567

# PALLADIO,

Quam

IN ILLUSTRIS UNIVERSITATE  
FRANCOFURTANA,

Benevolô Facult. Philosoph. Consensu,  
PRÆSIDE,

M. JOH. GEORGIO ROESERO,

ACCURATIORI DISPUTANTIUM  
DISQUISITIONI

Ad D. XXIV. Decemb. Anno MDCLXXXVIII.  
Publicè exhibet,

*In Auditorio Majori*

PETRUS CHRISTOPH. VEHR,  
Francofurt. March.

---

*Francofurti ad Viadrum,*  
Typis JOHANNIS COEPSELI, Acad. Typogr.



h. 21.





1006

PALLADIO

GIORGIO VIGNOLA

PETRUS CHRISTOPHORUS

Typis JOHANNIS COEPLERII







**V**iolatio sepulchrorum licita est in agro hostili.

I.

Differt quidem promissio ob turpem causam ab illa, quæ fit de turpi causa; neutra tamen obligat.

II.

Ratio Status necessario debet esse legibus conformis.

III.

Donatio Constantini Magni, Papæ Sylvestro facta, fabula est.

IV.

Princeps omnibus omnino Legibus est solutus.

V.

Bruta non delinqvunt, nec puniri possunt.

VI.

VII. Etiam





VII.

Etiam Deus gentiles idola sua violantes  
punit.

VIII.

Dominium non est à Jure Nat. præceptum.

IX.

Fides non ubique est servanda.

X.

Votum de perpetua virginitate non ob-  
ligat.





1009  
1010



I. N. J.

*DISSERTATIONIS*  
De  
**PALLADIO**  
*Caput I.*  
**NOMINIS EVOLUTIO.**

§. I. Unde repetenda hac de Palla-  
dio Historia? Ad quæ tempora  
spectet? Secula Mythica quæ?  
Antiquitatis studiū quam dif-  
ficile?  
§. II. Palladium unde nomen tra-  
hat? dicitur etiam simulacrū,  
signum, statua, effigies Palla-

dis, it. Minerva.

§. III. Nomen hoc aliis etiam tri-  
butum, v. gr. omnibus simula-  
cris manu non confectis, rebus  
pretiosis, Sanctionibus publ. E-  
vangolio, Aurea Bulla, Liber-  
tati, foro cuid. ap. Athenienses:

§. I.

**D**Um constituimus, PALLADIUM, famosissimum  
illud & tam antiquis, quàm recentioribus Scriptoribus fre-  
quenter memoratum Simulacrum accuratiùs delineare,  
intelligimus facilè, in obscuriores canæ antiquitatis re-  
cessus abeundum nobis, excutienda ultimitemporis monumenta,  
denique ad illa secula deveniendum, de quibus Africanus inquit,  
*quòd omnia plena sint confusionis, & dissonantia,* quæque Mythica  
& fabulosa vocat Varro, idque non sine ratione, quandoquidem  
huc Poëticarum Fabularum argumenta pleraq; referri soleant. vid.  
Degoreum Whear. in Relation. Hyemal. Part. I. Sect. 2. p. 28. & seq.  
Quamquam igitur fugitiva admodum sit antiquitatis Scientia, eaq;  
ut scitè loquitur Edm. Figrelus in Præfat. de Stat. Rom. Illustr. cum  
se se





sefe apprehendendam maximè sistere videtur, è manibus dilapsa in obscura sua retrò cedat, ne quisquam de ea triumpharet, quantum tamen fieri potest, in id allaborabimus, ut quicquid de Palladio sparsim apud Autores veteres & novos habetur, suò quæque ordine congesta hîc afferamus: non adeò solliciti, si singula minutiora præsertim ad liquidum perducere haud poterunt. Conf. de Difficultate hujus studii Edmund. Dickinsonum in *Præf. ad Delphos Phœnic.* Christ. Adam. Rupertum in *Enchir. Pomponii Jcti de Origine Juris p. 9.* & Alexandrum ab Alexandr. de *Genialibus diebus in Præf.*

## §. II.

Palladium verò à Pallade dici extra controversiam positum esse existimo, & tot autorum testimoniis probari posset, quot loca ex Græcis pariter ac Latinis Scriptoribus de formâ ejus externâ & quantitate infrâ erunt adducenda. Aliis enim dicitur simulacrum, sive statua Palladis, ἀγάλμα τῆς Παλλάδος, ut Herodiano *L. 1. c. 22. p. 482.* & *Lib. V. p. 569.* Plutarch. in *Camillo.* Aliis signum Palladis, ut Ciceroni *Orat. XI. Philip. p. 914.* Aliis effigies, statua, & signum Minervæ Iliacæ, ut Virgil. *Lib. 2.* Dionys. *L. 2.* Rosin. *L. 2. Antiq. Rom. p. 146.* Ovidio *L. VI. Fast.* Palladi quippe & Minervæ nomen tributum fuisse, notissimum est. Consul. Natal. *Comitem Mythol. Lib. IV. cap. V. p. 295.* & Rosinum *Ant. Rom. Lib. 2. cap. 9. pag. 126.* Quin hoc Palladium ab aliis etiam *Vestæ signum* nominari satis constat. Sic enim Livius *I. Dec. Lib. 5.* de æternis Vestæ ignibus agens, ejus quoque signum adducit, ceu Imperii pignus. Ipsum autem Palladis nomen, cuinam lingvæ originem debeat, an à Pale Νῆε, quæ vox Ebræis significat mirabile quid, & miraculosum: forsitan quia mirò modò ex Jovis cerebrò Pallas progenita est juxta Poëtarum fabulas, vid. Lillii Gyraldi *Syntagm. de Gentilium Deorum Hist.* an à Pallante Gigante occisò, ut vult Isacius, aliique citati à Natal. *Com. p. 297. Sc.* Conf. Svidam. *V. Pallas.* An denique ἀπὸ τῆς Παλλῆν τὸ δόρυ, vibrare hastam, sit deducendum; ut & Minervæ derivationem, alibi excutienda relinqvimus, ceu non adeò ad nostrum institutum spectantia.

## §. III.

Eqvidem multa oppidò sunt, quibus nomen Palladii passim tribuitur. Præter enim celebre illud Phrygiæ, deinde Romanæ Reipubl.



1011.

Raipubl. pignus, famosum Palladis simulacrum, de quo præcipue præfens hæc opera, ad imitationem quandam plura alia Palladia, minùs tamen celebria apud varias gentes jactitabantur, de quibus prolixius suo infrà loco. Scitu etiam non modo dignum, sed & necessarium duco, *appellata esse Palladia*, uti loquitur Pherecydes apud *Natal. Com. Mythol. L. IV. p. 303. Omnes imagines, quæ manu non essent factæ, & omnes, quæ forent è cælo in terram dejectæ, cujusmodi fuisse dicitur celeberrimum illud Minervæ Palladium.* Conf. L. Cœl. Rhodigin. *Lect. Ant. Lib. XXVIII. cap. 29. pag. 1073.* Quin & usus obtinet, Veterum & Recentiorum Scriptorum exemplis roboratus, res pretiosas alias, maximeque charas, & necessarias, in quibus magnum salutis & fortunarum momentum, vel firmior aliqua spes, ac fiducia ponitur, nominare Palladia. Sic Cicero *Leges* illas, quas Clodius Civibus Romanis imponere moliebatur, Palladium vocat *Orat. pro T. Ann. Milone num. 13.* quem imitari videtur Jctus Gallus, *Gvil. Budæns Annot. in Pand. p. 104.* iniquiens: *nec verò aliam ob causam, ut credibile est, Palladium Ecclesie Franciæ, ut extorqueretur, non pridem effectum est. Sic enim appellare placet inclytam illam, Franciæque peculiarem Sanctionem, Majorum nostrorum virtute ac innocentiam partam.* Sic quando Bonartius Jesuita in *Comment. ad Librum Esther. cap. 8. vers. 8.* Superstitiosam Evangelii applicationem ad sananda mala corporis defendere vult, priscis temporibus *Evangelium velut Palladium quoddam, & Apotropæum in mediis flammis habitum pronunciat,* meritò eapropter refutatus à Voetio *T. III. Dissut. Select. de Superstit. p. 114.* Sic Auream Bullam, *Transact. Passaviens. Instrumentum Pacis Osnabrug. &c.* Palladium tranquillitatis, & salutis publicæ, necnon religionis in Germaniam nonnulli nec sine ratione vocant. Eodem sensu foedus Ultrajectinum Belgarum, quod instar Legis fundamentalis ipsorum est, appellat Baudius: *hoc esse quasi pignus Imperii, hoc Palladium publicæ securitatis: omnia potius extrema sibi experiri certum esse, quam ut à tali presidio, propositoque, se dimovere paterentur: De Induc. Belg. Lib. I.* Non secus ac libertatem Rerumpubl. sacrum & Palladium, cui tuendæ omnia conferenda, tradit Justus Reiffenbergius *ad Machiavelli Dissut. de Rep. Roman. ex prima Decade T. Livii L. I. c. 7. p. 50.* Alia adhuc vocis Palladii,







§. III. Locus, ubi primūm visum, est in Asia Urbs Pefinuntum. Variantes sententiæ explicantur. Vera Origo Magicis artibus transcribenda.

§. IV. Ludovici Vivis narratio, compendium reliquorum. Quale nam Palladium, & quomodo Graci abstulerint? Æneas in Italiam transtulit.

§. V. Alba & Lavinia hefit. Quo autore Romam devenerit, incertum. Asservabatur in Vestæ templo. Nautiorum familie honor ab ejus custodia.

§. VI. Colebatur à Vestalibus & Pontifice M. Nulli videndum viro, ne Pontificibus quidem. Qui inde cæcitate puniti. Mali ominis res, si conspiceretur. Quoties id factum.

§. VII. Cur Simulacra Deorum non

concesserint videnda? An ob venerationē majorem. Hinc Persarum in occulendis suis Regibus mos. Κανοζηλία Diaboli ob arcam Fæderis velatam.

§. VIII. Alia occultationis hujus causa, metus sc. furti. Ideò Simulacris vincula esse annexa: De Evocatione Tutelarium. Absurdi Gentiles Diis suis indigna affingentes.

§. IX. An tempore Neronis cum Vestæ templo conflagravit? locus Taciti à Camerario citatus hoc non asserit. An Constantinus illud transtulerit Byzantium? pro affirmativa faciunt testimonia quorundam, & alia similia simulacra, quæ Constantinum Imperatorem præseferunt. Negativam svadet pietas Imperatoris hujus.

§. I.

**H**ujus natales indagare si volumus, in tenebricosa obscuræ Antiquitatis antra retrò abeundum est, quæ quò remotior, eò & incertior in hisce rebus esse solet. Ferme uti res longè à nobis distitas oculorū acies aut planè præterit, aut minùs accuratè atque genuinè attingit; ita res à memoriâ nostrâ longissimè post tot seculorum decursum recedentes, tot prætercà fabularum nebulis, undiqve objectis, mens humana ad veritatis lucem, utut irretortis oculis intenta, minus dextrè sigillatim perspicit, maximè cum per traducem Antiquitatis sæpè fallacia se commendet credulis, quemadmodum scitè loquitur Augustinus. Ut adeò temperamentò quòdam egere videatur illud tritum: antiquissimum quodque verissimum, pronunciatum à Tertullianò L. I. contra Praxeam,

A 3

cum



Cum quò coincidit dictum Aristotelis *L. I. Metaphysic. cap. 3.* Τιμιώτατον τὸ πρεσβύτατον, καὶ πρεσβύτερον καὶ ῥῶν τῶν νεωτέρων, quale suppeditare potest Seneca *Epist. II 7.* Svadens conjunctam cum veritate antiquitatem venerari, separatam verò ut præstigiaticem proscribere. Quibus ritè consideratis, apparebit multa vera falsis intermixta esse, quæ de Palladio circumferuntur, neque tamen ob immixtas fortè fabulas universam rem illicò rejiciendam. Et sanè nimis rigorosus Censor in Veterum Scriptis foret ille, qui ex quibusdam fabulosis, inquit Georg. Hornius *L. II. de Templo*, totam narrationem in dubium vocaret, cùm Antiquitatis autoritas non temerè revellenda sit, sed eâ tamdiu standum, donec urgens aliqua ratio infringat, monente Illustri Dn. de Rhez. *Dissert. de Stat. Roland. cap. 2. p. 17.* & prisca etiam maximè vera tali fabularum pigmentò sæpe incrustent. Quod prolixè ostendit Natalis Comes *Mythol. prioribus capitibus integris quatuor. In his distingvere oportet Antiquitatis amantes, quæ Historicâ fide, quæ item Poëticâ dicantur*, svadente Vossio *de Idolol. Lib. I. c. 14. p. III.* Nimirum non res ipsas finxerunt Poëta: sed rebus gestis addiderunt quendam colorem: cum officium Poëta sit in eo, ut ea, quæ gesta sunt verè in alias species obliquis figurationibus cum decore aliquo conversa traducat. Lactant. *L. I. de Fals. Rel. c. II.*

## §. II.

Palladium igitur cœlò delapsum fuisse constans, sed fallax fuit opinio. Tradit hoc Herodianus *Lib. I. cap. 17. p. 477.* & Cicero *Orat. XI. Philip. p. 914.* *Signum illud, sc. Palladis, cœlo delapsum, Vestæ custodiis continetur, quò salvo salvi futuri sumus: nec non Ovidius Lib. VI. Fast. de Vestæ templo canens:*

*Creditur armifera signum cœleste Minervæ  
Urbis in Iliacæ desiluisse iugo.*

Ethnici quippe, Legislatores præsertim, & Moderatores rerum-  
publ. autoritatem rebus conciliaturi, & terrorem, à Diis non solùm  
eas profectas, sed & cœlò demissas fingebant. Accommodè hîc  
Voce Διοπέτης loquitur Svidas: *Qui apud Græcos simulacra confi-*  
*ciebant, terrorem hominibus ea spectantibus incutere volentes, dice-*  
*bant simulacrum à Jove demissum, & omni humanâ manu, sumptuq;*  
præ-



1015

præstantius esse. Est paulò post: Hoc autem ita per Praeonis vocem  
promulgabant, statuariis vel occisis, vel in exilium pulsis, ne simula-  
crum illud manufactum esse dicerent. Quæ deinde exemplo imaginis  
Dianæ Ephesinæ probat, ceu quæ etiam *Act. XIX. 35. Διοπετρε* no-  
mine venit. Uti genuinam hujus vocis significationem solidè as-  
ferit, multisq; exemplis roborat *Celeberr. Dn. D. Becmanus Disput.*  
*de Pignor. Rerumpubl. cap. IV. §. IV.* De *Ancylis* constat, quod cœ-  
lò delapsum sit in manus Numæ Regis Rom. Sicut illud tradit Plu-  
tarchus *in Numa. cap. 25.* Confer. præter Dionysium Halicarn.  
*L. 2. cap. 97.* Lactantium *L. 1. cap. 21.* Ovidium *Fast. Lib. III.* Vir-  
gilium *Æn. Lib. VIII.* & Juvenalem *Satyr. 2.* Nec minori nume-  
rò Laurum Triumphalem Augusto ex altò missam scribunt Auto-  
res. Plinius *Lib. XV. cap. 37.* Xiphilinus *in August. è Dionis Lib.*  
*XLVIII. p. 180.* Svetonius *in Galba cap. 1.* Hæc taliaqve ut nostra  
ætate sunt insolita, admirabilia & incredibilia, ita priscis seculis  
frequenter accidisse dicit *Carolus Paschalius*, pluribusqve probat in  
elegantissimo libello *de Coronis Lib. VIII. cap. 9. p. 546.*

§. III.

Locus, in quem decidisse creditur Palladium, in Phrygia e-  
rat, inde *Pesinunti* nomen meritis *ὑπὸ τῆς πεσείν*, observante hoc  
post Diodorum, Dionem & alios solertissimo *Vossio de Idololatr.*  
*Lib. I. cap. 52. p. 592* Quamquam *Herodianus Lib. II. cap. 17. p. 477.*  
aliam hujus appellationis adducat rationem, dici scil. *Pesinun-*  
*tum*, quia ibi conciderint multi, depugnantibus Illo *Ganymedis*  
*Fratre ac Tantalò Lydo*, qui *Ganymeden* rapuerat. *Johannes An-*  
*tiocheus* missum cœlò *Palladium* pròdit, & *Philosophum Asium* ex  
horæ notatione, quam *Horoscopum* vocant, Mathematicè prædi-  
xisse, nunquam civitatem eam in prædam cessuram, ubi id serva-  
retur intactum *καὶ ἄσυλον*. apud *Rhodiginum loc. cit.* Sine dubio  
verò ad fabulas & figmenta Poëtica hæc *Palladii* ex cœlò missi ori-  
go referri meretur, tribuenda potius Magicis artibus, atq; super-  
stitioni. Uti de *Asio* tradit *Cedrenus Hist. f. 107.* quòd fuerit *Phi-*  
*losophus* quidam & ineffabilium præstigiatarum sacerdos: & *Troi*  
*Trojanorum Regi*, *Ilium* condituro hoc signum dono attulerit. In  
cujus gratiam *Tros* Universam suam regionem ante hæc *Epirum* ap-  
pellatam ab ipso *Asiam* denominavit. vid. *Svidas*, & conf. *Camer.*  
*Hor.*



*Hor. Sub. Cent. l. c. 60.* Consentiant reliqui ferme omnes in Asiae Minoris parte Phrygia, vel Samothracia hujus idoli initia celebrari, nisi quod in circumstantiis singularibus discrepent, ut fieri solet, quum à Regiâ Veritatis viâ deflectitur, diversæ se sistunt fabularum ambages, in præcipitia errorum facile ducentes. Traditum ergò ab Apollodoro est, *Biblioth. Lib. III.* illum, posteaquam Ilium condidisset, bovem insequutum optasse, ac Deos comprecatum, ut signum objiceretur aliquod, tuncq; ei Palladium oblatum. Pergit idem *Apollodorus* narrare fabellam sanè ridiculam, quam ipse appellat Historiam de Palladio. Minervam ajunt apud Tritonem, cui filia Pallas erat, educari cœpisse. Utrasq;ve autem fuisse rei bellicæ studiosas, & in contentionem aliquando venisse. Verùm cum Pallas Minervam esset vulneratura, Jovem pavefactum illi Ægydem objecisse: eam verò territam respexisse, atq;ve ita vulneratam à Minervâ concidisse. At Minervam eâ de causâ summò dolore affectam, simulacrum illi simile confecisse, ac thoraci, pectoriq;ve ejus, quam pertimuerit, Ægydem accommodasse, & apud Jovem honoris ergò constituisse. Deinceps autem Electram per anni pestilentis contagionem ad hoc confugisse, ac secum id Palladium in terra Iliaca exposuisse. Illum postea in hujusce memoriam templum à se conditum summopere coluisse. *Dionysius Halicarn. Antiq. Rom. Lib. I. cap. 42. 43.* Prolixè agit de Palladio, Penatibusq;ve reliquis, atq;ve ex *Callistratò* rerum Samothrac. Scriptore, *Satyrò & Aratinò* Poëta omnium antiquissimò refert: Dardanum à Chryse, Palantis filia dotis loco accepisse Munera Minervæ, τὰ ἢ Παλλάδια, καὶ τὰ ἱερὰ τῶν μεγάλων θεῶν. Effigies, ut vertit *Frider. Sylburg:* ipsius Deæ, simulq; sacra Magnorum Deorum; *Quorum sacra didicerat uxor. Sed postquam diluvium fugientes Arcades, relictâ Peloponeso, vitæ sedes in Thracia Insulâ fixerunt, Dardanum ibi templum extruxisse his diis, nemini communicatò eorum nomine propriò: ritusq; illis instituisse, quibus & hodie mos est initiari in Samothracia. Deinde cum majorem populi partem transporteret in Asiam, sacra quidem & mysteria penes eos reliquisse, qui manserunt in Insulâ. τὰ ἢ Παλλάδια, καὶ τῶν θεῶν εἰκόνας κατασκευασάμενον ἀγαγόντα μετ' αὐτῆς. Palladia verò & Deorum Imagines secum abstulisse. Atq; ita Dardanum in Urbe à se conditâ &*

deno.



101701

denominata, reposuisse hæc simulacra. Postea, cum Ilium habitari cepisset, nepotes illò transtulisse hæc sacra gentilitia, dicatumq; bis ab Iliensibus in arce templum cum adyto: ibiq; asservata quàm possent diligentissimè, omnibus missa divinitus existimantibus, & penes illa esse incolumitatem publicam. Paria huic habet Plutarchus in Camillo. Quod de Penatibus reliquis affirmat Macrobius *Lib. III. Saturnal. cap. IV.* inqviens: *Varro Humanarum secundò Dardanum refert, Deos Penates ex Samothrace in Phrygiam, & Æneam ex Troja in Italiam detulisse.* Ubi porrò ostendit, quòd per Penates Jovem, Junonem, & Palladem intelligat: add. Gyraldum *Syntagm. XI. Hist. Deorum p. 469.*

§. IV.

Denique Ludovicus Vives verisimiliora ex Varrone, Dionysio Halicarnasseo, Ovidio, Plutarcho, & Servio excerptisse ratus, hæc tradit ad *Cap. 2. Lib. I. Augustin. de Civ. D. Chrysis Pallantis filia cum Dardano nuberet, pro dote secum attulit Palladium, & magnorum Deorum Simulacra. Quibus templa Dardanus in Samothracia construxit: quæ sacra postea in Ilium sunt Nepotum tempore transvecta, acceptò oraculo, mansuram urbem, quamdiu & in eâ Palladium illud. Uti igitur secretum hujusmodi imperii pignus (ut Florus loquitur *Lib. I. cap. 2.*) diligentiori asservarent curâ, non modò in intimam arcis partem, ac abditissima loca recondiderunt, sed & alterum quoddam, illi primario & vero simillimum effinxerunt, quod in publico negligentius asservabatur, in aperto scilicet positum ad fallendos insidiatores vid. Gyraldum *cit. loc.* Cumq; Pyrrhus ex Helenò, Vate, Priami filiò, inexpugnabilem esse Trojanam urbem, salvò in eâ Palladiò cognovisset, idq; Principibus Græcorum renunciasset, Ulysses & Diomedes per fraudem primùm ingressi, deinde factâ in custodes vi Palladium illud imaginarium surripuerunt. Ab his etiam postea in Græciam translatum, & apud Athenienses in arce religiosissimè cultum fuisse dicit Pausanias *Attic. Lib. I. f. 74.* Alterum captâ jam urbe Æneæ Sycas tradidit cum Magnis Diis, quos Penates Trojanos vocant. Quamquam alii Æneam id à Diomede apud Beneventum acceptum in Italiam attulisse tradunt. Causam affert hanc Procopius apud Rhodiginum, suprâ citatum: quoniam de morbo sciscitanti red-*

B

ditum



101870  
ditum foret oraculum, non prius ex morbo convaliturum, quam Trojano cuiusdam Palladium restituisset. Æneas id propter Penatiger dicitur Ovidio. §, V.

Ereptum sic flammis, simulque undis Palladium, quæ cum in excidio Trojano, ac in sequente diuturniore fugâ conflictabatur, in Italiam tandem devenit, Herodianò recte, *Lib. I. cap. 22. p. 482.* primùmque cum Penatibus ab Ænea Lavinia positum, mox ab Iulo Albam à se conditam translatum, paulò post tamen pristinam Lavinia sedem repetiit. Valerius Max. *Lib. I. cap. 8.* Alexand. ab Alex. *Lib. V. de Gen. dieb. cap. 12.* Hinc M. Lucanus canit *Lib. IX. Pharsal.*

*Dii cinerum, Phrygias colitis quicunq; ruinas,  
Æneaq; mei, quos nunc Lavinia sedes  
Servat & Alba Lares, & quorum luceet in aris  
Ignis adhuc Phrygius, nulliq; adspeda Virorum  
Pallas in abstruso, pignus memorabile, templo.*

Denique ex Albâ longâ, sive, ut Varro putat, ex Lavinio Romam translatum est vid. Rosin. *Ant. Rom. Lib. II. cap. 12.* Ubi tamen hanc Palladii ex Lavinio in agrum Rom. deductionem ab illâ Magnæ Deæ ex Pessinuntina urbe per Scipionem Nasicam summò populi obviam procedentis gaudiò factâ translatione sedulò distinguendam esse putamus. De quâ posteriori agunt Livius *Lic. XXIX cap. 12. & seq.* Ammianus *Lib. XXII.* & alii Varro apud Servium Nautem quendam Palladium Romam detulisse inquit. Unde postea Nautiorum familia Minervæ Sacra retinuit, de quò infra. Quamvis alios, bello Mitridaticò à Fimbria repertum Palladium, autores esse, idem Servius inquit ad Æneid. *Lib. II. 166.* vid. Freinsh. *ad Flor. Lib. I. cap. 11. §. 3.* Valde igitur dubium ac incertum est, quando, quâ ratione, & per quem Autorem fatale hoc pignus Romam migraverit? Ut rectè cecinerit Ovidius *Fast. Lib. VI.*

*Seu genus Adraſti, seu furtis aptus Ulyſſes,  
Seu Pius Æneas eripuisse ferunt.  
Auctor in incerto est, res est Romana tuetur  
Vesta quod assiduo Lumine cuncta videt.*

Roma verò in templo Vestæ, Magnæ Matris à Vestalibus Sacerdotibus unâ cum igne æternò, & aliis sacris custodiebatur, quemadmo-



1019501

admodum hoc præter alios vel ex Dionysio *Lib. II. Histor. Roman.*  
& Plutarcho in *Camillò* colligitur. Tradit Varro in *Libro, quem  
de Familiis Trojanis* scripsit, Nautiorum familiam Romæ fuisse,  
quæ Palladium custodiret, & sacra retineret, ex quâ Nautes a-  
pud Virgilium *Lib. V. Aeneid.* ut vult Gyraldus *loc. cit. pag. 469.*  
Causam addere possumus ex Dionysio *Lib. VI. Nam autor ejus gene-  
ris (Nautiorum) unus ex Aeneæ in deducendâ coloniâ Sociis fue-  
rat, qui Minervæ Urbicæ apud Ilienses Sacerdos, Palladium in emi-  
gratione secum transtulerat.* Quod tamen attributum honoris po-  
tius, quàm verum officium fuisse existimat *Celeberr. Noster* Becma-  
nus *dissert. de Pignoribus Rerumpl. cap. 4. §. 2.* Cùm Vestalibus alias  
id muneris competiisse, certum sit.

§. VI.

In intimis hīs Vestræ penetralibus tantò colebatur Palladium  
honore, tantâque veneratione, ut ad illud nemini hominum, nisi  
Vestalibus, & Pontificibus adire fas esset, verba sunt Alex. ab Alex.  
*Lib. V. cap. 12.* apud Trojanos soli sacerdoti Minervæ, à quâ & Græ-  
ciæ proditum scribit Cedrenus *f. 108. nulliq; ad spectâ Virorum fue-  
rit* juxta versum Luciani §. *anted. citatum*, quod expressè etiam  
asserit Herodianus *Lib. I. & Lib. V. p. 569. ἀγάλμα τῆς Παλλάδος  
κρυπτόν καὶ ἀεὶ κλειόμενον* fuisse Romanis scribens. Quin ne Pontifici  
quidem Maximo conspicerere illud licuit, sed soli Vestali: *Romanam  
soli cui fas vidisse Minervam.* Lucan. *Lib. I.* Hinc cùm æde Vestæ  
flagrante irrumperet in ardens penetrale L. Cæcilius Metellus Pon-  
tifex M. & neglectò privatò periculò eriperet sacra à Virginibus  
deserta, lumina ob piaculum hoc amisisse, magnum verò honorem  
à S. P. Q. R. posita statua meruisse dicitur Dionysio *Lib. II.* & Pli-  
nio *Lib. VII. cap. 43.* Conf. Rosin. *ib.* Ob eandem rationem illum  
oculis captum memorat Gyraldus *loc. cit.* Remque mali ominis  
credebant Romani, si cerneretur, id quod accidisse aliquoties ajunt.  
Tempore scil. *Commodi* Imperatoris, incensâ pariter æde Vestæ,  
cùm sacrâ viâ raptum illud in Aulam Imperatoris transtulerunt.  
Quâ de re ita Herodianus *Lib. I. p. 482.* ubi templum pacis con-  
sumptum ignibus est, totiusque ejus ambitus, plurima quoque &  
pulcherrima urbis ædificia conflagrarunt. Inter quæ etiam Vestæ  
templum, sic ut Palladium quoque nudum conspiceretur: quod in-



primis colunt, atque in arcano habent Romani, Troja (ut perhibent) auctum, ac tum primum, postquam in Italiam devenit, conspectum ab hominibus nostrae aetatis. Quippe raptum id Vestales virgines mediâ sacrâ viâ in Aulam Imperatoris transtulerunt. Et postea tempore *Heliogabali*, qui ausu nefario illud cubiculo suo intulit, immotumque ad eam diem, ex quo Ilio auctum fuerat (praeterquam cum templum conflagravit) ipse emovit sedibus, eamque Deam sui Dei conjugem in aulam Imperatoriam adduxit. Idem Herod. *Lib. V. p. 569.* Verum tamen Palladium illud fuisse negat Lampridius, inquam: *in penum Vestae, quod sola Virgines, solique Pontifices adeunt, irrupit, pollutus ipse omni contagione morum cum iis, qui se polluerant, quumque seriam quasi veram rapuisset, applosam fregit: nec tamen quicquam religioni demisit, quin plures similes dicuntur facta esse, ne quis veram unquam possit auferre. Hac quum ita ita essent, signum tamen, quod Palladium credebatur esse, abstulit, & aurum vinctum in Dei sui templo locavit.*

§. VII.

Nec tantum ad Palladium tam difficilis concedebatur aditus, tamque rarus ejus conspectus erat, sed plura olim colebat Numina superstitio, quorum ne effigies licebat intueri, verba sunt Caroli Paschalii *de Coronis Lib. X. cap. 11.* Tale fuit simulacrum *Cereris*, quod a viro, ait M. T. Cicero *Orat. VII. in Verr. non modo non tangi, sed ne adspici quidem fas fuit.* Augere scilicet venerationem idolorum hac ratione intenderunt Ethnici. Ea enim est hominum, superstitione imbutorum persuasio, ut sacra, quibus procul arcentur, vehementius expetant, & occultam vim eis majorem inesse opinentur. *Alex de Alex. Lib. V. cap. 37.* cum natura Vulgus ita sit comparatum, ut plerumque id optimum, & salutiferum judicet, quod non intelligit, iudice Camerario *Oper. Subscif. Cent. 1. cap. 60.* & alias majorem & praeclariorem ostendant veritatem, quae ostenduntur per aliquod velamentum, ut ait Clem. Alex. *Strom. V.* Praeterea vilescunt plerumque, & multum de Majestate sua perdunt, quae sensibus omnium patent. Unde factum existimo, quod Reges Assyriorum, Persarum, aliorumque, in Asia potissimum, populorum tam raro se conspiciendos praebuerint: sub specie majestatis quippe occultari personam Regis arbitrati. vid. Justin. *Lib. 1. c. 3. & 9.*

Forli-



102  
5501

Forſitan religioſam hanc Palladii occultationem à populo Dei tranſtulit perversiſſimè, ut plures alios ritus, *Diabolus, ſimia Dei, Deum imitatus quidem, ſed ut ſolent ſimie, non ſine abſurditate,* uti eleganter loquitur Dn. Becmannus *Diſſert. de Prodig. Sangv. cap. IV. §. 1.* Summo enim apud Iſraelitas Ponrifici interdictum fuit, ne quòvis tempore ingrederetur Sanctum Sanctorum *Levit. XVI. cap. 2.* ne præſentiæ Domini aſſvetudine, & frequenti ingreſſu vileſceret Sanctitas. Hunc quoque id ingreſſurum propterea juſſum fuiſſe Thymiama adolere, ſententia eſt Cornelii à Lap. *Comment. in Levit. cap. cit.*

§. VIII.

Aliam adhuc hujus ſedulæ idolorum Occultationis cauſam habuerunt Gentiles, ſed valde abjectam & abſurdam. Nimirum in abdito locatum Palladium tam exquisitâ aſſervarunt curâ, ne furтивæ eriperent manus cariſſimum hoc pignus. Quod ne gratis dixiſſe videar, conferantur, quæ ſupra §. III. dicta ſunt de Palladio imaginario ad eludendos furantium dolos confictio, Nec dubito, quin eò applicandum ſit illud Lampridii *in Heliogab. cap. 6. Signum tamen, quod Palladium eſſe credebatur, abſtulit, & auro vinculum, in ſui Dei templo locavit.* Ratio enim vincendi fuit, ut, cum eſſet pignus imperii, perpetuò permaneret, ubi collocare libuerat Heliogabalo. Et notum aliàs eſt, Deorum Simulacris vincula annexa, ne evocarentur & abirent, quum eos hoſtili carmine vocatos timerent abituros. De Tyriis annotavit Curtius *Lib. IV. c. 3. quòd ab Alexandro obſeſſi Apollinis ſimulacrum aureâ catenâ devinxerint, araq; Herculis, cujus numini urbem dicaverant, inferuerint vinculum, quaſi illò Deò Apollinem retenturi.* Sic Romani effigiem Saturni totò annò vincam lanceo vinculo habuerunt, feſtis ſolum diebus Saturnaliorum vinculis exolventes. *Alex. ab Alex Lib. IV. cap. 12* Hinc illos ipſos gentium Dominos ſummò ſtudiò caville legimus, ne proprium & arcanum tum urbis, tum Dei illius, ſub cujus tutela Urbs erat, nomen evulgaretur. vid. Aug. Buchnerus *Orat. Academ. Vol. II. or. 1. p. 15. & ſeq.* De Spartanis tradit Pauſanias *Lib. III. coluiſſe eos Martem, compedibus irretitum, quò vinculo proprium ſibi, ac perpetuum bellorum illud numen haberent. Athenienſes Victoriæ ſimulacro alas adimebant, ne ſcil. urbem deſereret.*



1022  
1501

reret. Freinshemius in *Not. ad Q. Curtii Lib. IV. cap. 3.* ubi plura hanc in rem adfert, junge Gyraldum *de Diis Gent. Synt. 1.* Plutarch, *de Vita Alexandri, & Probl. cap. 61.* De ritu verò Ethnicorum, quò Deos urbium Tutelares, Genios locorum, Lares & Præsites prius evocabant carminibus, aliisque verbis Magicis ita alliciebant, ut loco cederent: arbitantes, non posse aliter subigi loca, nisi evocatis, & absentibus Tutelaribus, imprimis consulendus Macrobius *Lib. III. Saturn. cap. 9.* ubi etiam docet, cujus modi fuerint illa carmina, quibus ad evocandos Deos Tutelares urbium, quas capere vellent, usi quondam Romani. Hanc in rem etiam, plura affert Phil. Camerarius *Horar. Subcis. Cent. III. cap. 13.* nec non Edm. Figrelus *de Statuis, Illustr. Rom. passim.* add. Casp. Peucerus *Comment. de precipuis Divinat. generibus p. 141. 142.* Vesana autem vincendi tutelares, ne aufugiant, superstitio, nec ipsis sanioribus Gentilibus probanda, cum nunquam verecundiores esse debere ex Aristotele dicitur Seneca *Qu. Nat. lib. VII. cap. 30.* quam cum de Diis agitur; ne scil. quid temerè; ne quid imprudentes, aut ignorantes affirmemus, aut scientes mentiamur. Et recte exprobrat Gentilibus disertissimus Italus Ferr. Pallavicino *Tr. Rete di Vulcan. lib. I.* inquit: *Non s'auvedeva l'antichità d'auvilire il fasto delle proprie grandezze, mentre faceva le sue Deità tanto sprezzabili.* i. e. non animadvertibat Antiquitas se diminuere propriæ magnitudinis fastum, dum Deos suos tam contemptos ac abjectos proponebat. Quale verò miseris in victo Deo præsidium? quale afflictis auxilium sperent ab eo, qui contra furantium insidias haud tutus est? Sic sanè homines non à simulacro, sed simulacrum ab hominibus servatum fuisse, judicat Augustinus *Civ. D. Lib. I. cap. 2.* Quin hæc opinio se ipsam destruit, si enim Diis suis tantam tribuebant potestatem, quantam Deo tribui fas est; quò fine suscipiebant cum ipsis imparem contentionem? sin autem credebant, à se in ordinem cogi posse, cur eos divinò cultu honorandos esse existimabant? Atque hoc quidem dilemmate adversus gentilium coecitatem Tertullianus, Augustinus, Arnobius, alique Patrum efficacissimè sunt usi, vid. Freinshemius *loc. cit.* Adeo ut ipsi quidam Gentilium vincendo suos Deos, ridiculè se facere senserint. Nam & Pausanias *Lib. III.* cum tradit apud Lacedæmonem fuisse Veneris, Morphus  
suvi-



1023501  
simulacrum cōmpeditum, compedesq̄ve dici à Tyndareo inditos, exprobrante filiarum adulteria, subjungit: id ut credam, adduci non possum, qvàm enim ridiculum, si putasset ab effigie, qvàm è cedro fecisset Veneris nomine, injectis compedibus pœnas expeti posse? Sed relinqvamus improbam Deos vincendi consuetudinem, tantis, qvibus premebantur gentiles, tenebris dignissimam.

§. IX.

Potius illud indagandum, qvorsum Palladium devenerit tandem, postqvàm diu in intimis Vestæ ædis angulis delituit, maximò honore cultum. Tempore Neronis, qvum major pars urbis conflagraret, incertum volente, an invito Nerone, unà cum reliquis penatibus populi Rom. in Æde veste conflagrasse opinatur Camera-rius *Oper. Subcis. Cent. I. cap. 60.* pro se allegans Cornel. Tacitum qvi *Annal. Lib. XV. cap. 41.* incendii illius sub Nerone facti damna recensens, addit: *vetustissima religione templa, Numæq; regiam, & delubrum Vestæ cum penatibus populi Rom. exusta.* Ex qvò tamen Taciti locò, cùm expressa Palladii non fiat mentio, hoc probari posse alii dubitant, præsertim, cùm Scriptores suprâ citati de Helio-gabalo adhuc tradant, eundem illud tenuisse, Ubi igitur lateat id nunc, inquit Procopius *apud Rhodiginum Lib. XXVIII. Antiqv. Lect. baud norunt Romani. Simulacrum ostendunt tamen lapideum in Fortune fanò ante Minervæ statuam aneam.* Memorat quoq; Rhodiginus loc. cit. *Constantinum Imperatorem simulacrum hoc Byzantium translatum in foro ab eo nuncupato defodisse.* Paria tradit Johannes Meleles manuscript. *inquiens: ὁ ἢ αὐτὸς Κωνσταντίνος ἀφελόμενος διὰ τῆς Ῥώμης κρύφα τὸ λεγόμενον Παλλᾶδιον ξόανον, ἔθηκεν αὐτὸ εἰς τὴν ὑπ' αὐτῆς κτισθέντα Φέρον ὑποκάτω τῆς κίονος τῆς σήλης αὐτῆς, ὡς πινὲς λέγουσιν τῶν Ἑυζαντίων, ὅτι ἐκεῖ κείται.* Idem verbis prope iisdem habere, ut sæpe solet, *Autorem Chronici Alexandrini,* & adjicere tantum, Byzantinos id ex traditione accepisse, *ἐκ διαδοχῆς ἀκρίσαντες,* dicit *Celeberr. Dn. D. Becman-nus loc. cit. Cap. V.* Non autem tantâ superstitione laborasse Con-stantinum temerè assererem, pollicendi sibi præsidium, atqve auxi-  
lium à figmentis ejusmodi inanibus, & ficulneis Diis: nisi constaret, plura talia *Φυλακτῆρια σιχαιώδη,* & fatales statuas etiam posteri-  
oribus, & longè lateq̄ve jam propagatò cultu Christianò temporibus



bus apud Græcos pariter & Latinos viguisse, nec absq̄ve superstitione in publico conspicuas fuisse. Videri eò poterit Nicetas Choniates in *Annal. prope finem*, ubi de Latinis ait, quòd illa olim decantata urbis munimenta, quæ à certâ partium serie Stœchiode, dicuntur, muri ac valli loco excogitata, contra hostes vel apertâ vi, vel insidiis grassantes (verè an secus dicere hauc possum) evertere statuerunt, ea præsertim, quæ contra suam gentem facerent. Suspicionem auget, quod Camerarius *loc. cit.* ex Leonclavii *Pandeëtis Hist. Turc. n. 130.* adducit de Columnâ Serpentinâ, quæ adhuc Constantinopoli superest, ex are facta, sic ab imo convolutis inter se spiribus serpentis triplicis, ut in parte superiori tandem sese tres cervices, triag; serpentina capita dividant, ac separent in formam triquetram, quibus quondam accepimus impositum ab urbis conditore, Constantino Magno fuisse plurimum scriptis celebratum illum tripodem Apollinis Delphicum: Quo effectum fuisse ajunt, ut durance hoc simulacro, nullus esset in urbe serpens. Quæ tamen omnia aliena videntur esse ab illâ decantatâ Constantini M. pietate, nec convenire cum laudatissimò istius institutò, quò statuum suam precantis magis, & supplicantis, oculosq̄ve & manus passas in cœlum attollentis, quàm divinum aliquod cum Juliani Apostatæ effigie referentis ritus exprimere voluit Optimus Imperator. Uti hoc ex Eusebio *Lib. IV.* & Pauli Diaconi *Lib. I.* recenset Theodor. Höpingk. de *Jure insignium cap. XX. §. 158 p. 959.* Quicquid horum sit, illud certum est, fuisse Constantinopoli Palladium aliquod, idque celeberrimum, in foro Constantini columnæ insistent, quod prolixè describit Nicetas *L. 3. Ann.* atq̄ve à plebe ideò confractum fuisse, quia existimabat, id pro exercitibus occidentalibus, ut alliceret eos, conflatum. Hoc autem forte de aliâ artificiosâ Palladis imagine capiendum, cum omnes Palladis imagines Palladia dicta sint. Ut pluribus infra constabit. De exitu ergò ejus pauca comperta sunt, probabileq; judicat Dn. D. Becman, de *Pign. Gentil. cap. IV. §. 2. id ingruente tempore τῆς διαφωσσεως, h. e. efflorescente Christianismo contemptu, senio collapsum sensim exolevisse. Sicut omnia, quæ Spiritum ab extrinsecò tantum trahunt, & internâ ratione carent.*



# Caput III. MATERIA, FIGURA PAL- LADII, nec non QUALITATES.

§. I. Connexio. An locus Herodiani  
huc spectet? Explicatur de Vestæ  
effigie. Ex ligno fuisse probatur  
tam Testimoniis, quàm consue-  
tudine illorum temporū. Plura  
de materiâ statuarum remisivè.

§. II. Aliorum, præsertim Patrum  
sententia affertur, fuisse ex Offi-  
bus Pelopis. Exponuntur rati-  
ones probabiles. Oraculum de  
Pelope. Illustratur pluribus ex-  
emplis, quàm sanctè coluerint  
quorundam offi. Hinc origo  
Reliquiarum apud Pontificios.

§. III. Forma externa. Informe  
Palladis signum quodnam? Pal-  
ladium Apollinem & Neptunum  
representasse quidam volunt.  
Potior & communior Sententia  
affertur. Probatum ex Nummis  
quibusd.

§. IV. Unde hæc figura varietas?  
Multa fuisse Palladia ostendi

tur. Plura adhuc hoc nomen  
participasse. Eadem Gentilium  
olim cum Palladio vanitas, atq;  
Pontificiorū cum multiplicatis  
unius Sancti Reliquiis.

§. V. Qualitas præcipua fuit mo-  
tus. Cur ζώδιον dictum? Apollo-  
doro explicatur ex Reinesio. Da-  
dali opera videntia, & se mo-  
ventia. Fugitive statuæ quæna?

§. VI. Distinctè proponuntur prin-  
cipia motûs in Statuis. Proba-  
tur exemplis, quòd motus per Ma-  
giã illicitã fuerit inditus statuis.

§. VII. Naturalibus mediis, iisdemq;  
licitis per artificium se movisse  
varia αὐτόματα. Exempla ex  
antiqua & recentiori Historia,  
1. Ope rotularum. 2. Per nervos  
unde νευρόσπασα. 3. Vi Magne-  
ticâ. 4. Infusô argentô vivô.  
5. Inclusô intus spiritu facta.

§. I.  
**V**idimus fabulosos Palladii natales, observavimus cultum  
ejus, & quorsum devenerit, solliciti inquisivimus, jam ma-  
teriam, ex quâ fatalis hæc imago emerit, considerabimus.

Afferre quis huc posset, quod Herodianus Lib. I. cap. 17. ait: αὐτὸ  
μὲν τὸ ἀγαλμα διοπέτης, ὡς λέγουσιν, ἔτε ἢ τὴν ὕλην, ἢ τε τεχνητῶν  
C 056



10385

ὅστις ἐποίησεν, ἐγνωσμένον, ἔδὲ ψαυσὸν χειρὸς ἀνθρώπινης. τὴν δὲ  
 πάλαι αὐτὸν ἐξ ἑραυρῆ κατενοχθῆναι λόγῳ εἰς τινα τῆς Φρυγίας χω-  
 ρον. Πιστινῆς δὲ ὄνομα αὐτῶ. Quod ita reddit *Sylburgius*: ipsū hoc  
 simulacrum cœlitus, ut ajunt, demissum, neque quā sit materiā,  
 neque à quō sit fabricatum artifice, satis constat. Neque planè  
 hominum manibus creditur factum. Hoc igitur decidisse cœli-  
 tus ferunt in quendam Phrygiæ agrum. Cui nomen Pesinunti-  
 Cùm & Palladium sit simulacrum, cœlitus demissum, neque quā  
 sit materia, nec à quō fabricatum artifice satis constat, neque pla-  
 ne hominum manibus credatur factum; & decidisse etiam cœs-  
 litus ferant in quendam Phrygiæ agrum &c. Herodiani tamen  
 adducta verba de effigie Vestæ, sive Magnæ Matris, quæ cum Palla-  
 dio in multis circumstantiis conveniebat, eadem tamen haud erat,  
 capienda esse, ipsa verborum, & quæ antecedunt, & quæ sequuntur,  
 series atque conceptus satis evincunt. Ex ligno igitur compactum  
 fuisse Palladium, communis fert opinio. Hinc *Svidas loc. cit.* vo-  
 cat sigillum ligneum; & *Rhodiginus* allegatō locō simulacrum Mi-  
 nervæ cubitorum trium, & ligneum dicit. Rudibus enim & in-  
 cultis illis seculis primis ex quercu, taxo, cupressō, hebenō, cedrō  
 signa ut plurimum confecta esse probat *Höppingk. loc. cit. §. 113.*  
 Quò pertinent tot exprobrationes genti Judaicæ ob idola in S.  
 Codice factæ: *Populus meus in ligno suo interrogavit, & baculus*  
*ejus annuntiavit ei. Osee IV. 12. add. Esa cap. 1. 29.* Suffragatur hi-  
 sce *Plinius H. N. Lib. XII. cap. 1.* de arborum honore differens: *ex*  
*arbore, inquit, & simulacra Numinum fuere, nondum pretiō excogi-*  
*tatō belluarum cadaveri, antè, quàm, ut à Diis natō jure luxuria, eō-*  
*dem ebore numinum ora spectarentur, & mensarum pedes.* Et alibi  
*Lib. XXXIV. cap. 7.* dicit: *mirum mihi videtur, cum statuarum origo*  
*tam vetus in Italia sit, lignea potius, aut fictilia Deorum simulacra*  
*in delubris dicata, usq; ad devictam Asiam, unde luxuria.* Inde Jo-  
 vis statua ex unâ vite laudatur ab eōdem *Plinio Lib. X. IV. cap. 2.*  
 Mercurii verò ex Cedrō: ex quō forte illud tritum: *non ex quovis*  
*ligno sit Mercurius.* Confer. pluribus de materiā statuarum & simu-  
 lacrorum, *Jul. Cæs. Bulengerum Lib. I. de Picturâ & Statutariâ cap.*  
*18. 19. & 21.* *Edmund. Figrelum loc. cit. prolixè G. J. Vossium de Idol.*  
*Lib. IX. cap. 4.*





102501

Valde igitur probabile est, antiquissimam hanc effigiem è lignò effictam esse. Alia tamen adhuc circumfertur de materiâ Palladii opinio, conflata scil. fuisse ex ossibus Pelopis, uti hoc probat Joh. Meursius in *Lycophr* autoritate *Clementis & Arnobii*: quorum ille in *Προτρεπτικῶ ἐκ τῶν Πέλοπ* ὅσων κατασκευάσθαι ex ossibus Pelopis præparatum esse ait: Hic verò *Lib. 4.* adversus *Gent.* *Quis ex reliquiis Pelopis compactum esse Palladium prodidit, non vos?* Eandem quoque sententiam esse Firmici *de Erroribus profana Relig. f. 46.* dicit Dn. Becman. *l. c. §. I. c. IV.* Nec alienum hoc putemus à consuetudine antiquorum, ceu quos ex *Ossibus*, reve alia, veluti *Camelinis*, aut ex *Indici Animalis dente*, item ex *cacabullis*, *ollulis*, *candelabris*, *lucernis*, *incudibus* statuas conflasse, testatur *Arnobius Lib. VI. contr. Gent.* *Bulengerus d. c. 18. p. 62. & seq.* Forfitan occasionem ita suspicandi præbuit, quod *Nat. Comes Mythol. Lib. VIII. cap. 8. p. 803.* tradit: *Troja omninò capi non potuit, ut prædixit oraculum, antequam à Neoptolemo, Achillis Filio, & os Pelopis, & arcus Hercules, quem habebat Philocletes, huc portarentur.* Idem tradit *Pausanias Lib. I. Eliacorum: Memoria proditum est, cum Trojanum bellum duceretur, monuisse vates non antè expugnari Ilium posse, quàm Græci Hercules, Sagittas, & de Pelopis ossibus unum comportari curassent.* Ex quibus apparet, quantum divinæ virtutis, & miraculosæ efficacis superstitiosa Gentilium Antiquitas Pelopis ossibus tribuere solita sit. Huc facit, quod *Gellius Lib. XV. Noct. Attic. cap. 22.* de *Clarissimi Græcorum Poëtæ, Euripidis* ossibus refert, denegasse eadem *Macedones Atheniensibus*, utut anxie petentibus, quoniam multam sibi ex titulo *Sepulchri* promiserant perpetuitatem & securitatem, qui erat: ἔπειτι οὐν μνήμα Εὐριπίδης ὠλετο πῦρ i. e. nullâ ætate tua, *Euripides*, monumenta peribunt. Cui ferè geminum est, quod *Diogenes Laert. de Vit. Philos. in Epimenide* scribit, quòd *Lacedæmonii* apud se corpus ejus servaverint, responso quòdam admoniti. *Oraculi jussu* circa *Cimonis* reliquias, fame & sterilitate laborantibus commendatas v. ap. *Plutarch. in Cimine*; & de *Thesei* Ossibus *Eund. in Theseo*; *Paria de Sanctorum ossibus* traduntur, quæ adhuc hodiè in *Eccl. Romanâ* cum iisdem superstitiosè peraguntur.



## §. III.

Formam externam quod attinet, & illa multum dubii adhuc habet. Palladis Atticæ informe signum esse scribit Pausanias *Lib. I. in Attic.* Apulejus *Asini Aurei I. 10.* Sed aliud est quælibet Palladis effigies, quæ, utut primùm informis fuisse dicatur; postea tamen varias figuras recepit, quas delineat summò studiò Vossius *l. c. Lib. IX. cap. XXIV. integrò;* aliud verò famosum illud Palladium. Hoc Palladis præliantis, & hastam evibrantis imaginem exhibuisse præter nomen inde acceptum, vide supra *Cap. I. §. 2.* Et junge Rhodoginum *l. c. p. 1073.* communis fert opinio. Nisi quòd *Palladium ab Æneâ advectum, nonnulli Apollinem & Neptunum ferant,* dicente Alexandro ab *Alex. Gen. Dier. Lib. V. cap. XII.* Inter quos Macrobius refert Andreas Tiraquellus *Annotat. in Alex. ab Alex. dict. loc. add. Valerius Max.* Alii tamen magnò numerò Trojanam Palladem repræsentasse asserunt ap. Eund. Veterum Nummos si consulimus pulchrè communem illam opinionem roborant. In illis sanè, quorum duos affert Rosinus *Ant. Rom. Lib. II. cap. 12.* cernitur Templum Vestæ rotundum, inque eâ statua Palladis locata, & Æneas Patrem Anchisen, dorso inhærentem portans, altera manu Palladium, alterâ sacra Trojæ tenens. Similem nummum adducit Freinshemius *in Not. ad Flor. Lib. I. cap. 2. §. 3.* nisi quod Æneas manu dextrâ tenere Palladium, sinistrâ filium Julum dicatur, quod congruit magis cum figurâ æneâ illius nummi, quem apposuit Rosinus *dict. loc. notatum lit. O.* In Nummis pluribus Juliæ gentis unâ parte imago Veneris apparet, in alterâ Anchises ab Ænea portatus, dextrâ exiguum simulacrum Palladis tenens, quod hoc ipsum Palladium est, cum inscriptione: *CÆSAR. Cbr. Ad. Rupertus Observat. ad Flor. Lib. I. c. 2. p. 76.* Sed cum in his imaginem Palladis videas erectam, Trojanum illud vetus Palladium esse dubitat doctissimus ille Scriptor.

## §. IV.

Insignem hanc circumstantiarum circa Palladii figuram varietatem efficit multitudo Palladiorum. Præterquam enim, quòd omnibus simulacris, manu non efformatis, sed aëre delapsis, aliisque; etiam rebus carioribus nomen Palladii olim sit tributum, ut liquet ex iis, quæ *§. III. cap. 1.* dicta sunt, nolo commemorare prolixius, aliud







cidens in hunc *Apollo-dori* locum alia docet, inqviens: *Nos aliter ista interpretabimur, quia nec de Palladiô verum est, quod vertit iste, nec verba Græca id ferunt. Scilicet olim statuarii ruditer finge-bant; Dædalus verò primus ἀνεπέτασε τὰς ὀφθαλμούς, καὶ τὰς πόδας διέσπειρε. Clausos oculos cum facerent Veteres Opifices, Dædalus eos aperuit, ac pedes disjunctis. Svidas in V. Δαιδάλεος ποιήματα. Adde Diodor. Sic. Bibl. IV. 78. & Natal. Comit. Lib. VII. p. 774. ubi Plato Comicus in Decipiente introducit canens: τὰ Δαιδάλεια πάντα κινεῖσθαι δοκεῖ, ἢ βλέπῃ τὰ ἀγάλματα. Nec hic prætermittendum duco, quod de Dædali fugitivis statu- is Scriptores annotarunt: Dædali verò statua, nisi fuerint ligata, aufugere, & vagò quòdam sinuosòq; impetu ferri infugam; si ligentur, permanere, Plato in Me-none scripsit. De quibus vide Edm. Figrel loc cit. pag. 19. Dion. Chryso-st. pag. 457. Scaliger. in Euseb. num. 737. Aristotel. Mirab. Ausc. cap. 68*

## §. VI.

Quicquid tandem sit de Statuis Dædali, motus Palladio tri-butus à tot Scriptoribus, sine inquisitione accuratiori dimittendus haud est. Vel igitur eidem compete-bat per principium aliquod extrinsecus ab artibus Diabolicis, Magiâqve illicitâ accedens; vel per internam aliquam vim, ex stupendâ artificii structurâ Palladio conciliatam. Ne quid gratis dixisse videar, utrumqve probare conabor. Et quidem fraudibus, & arte Diaboli Magicum hoc Palladii simulacrum ita animari potuisse, ut oculos verteret, ha-stam torqueret, aliâqve motus indicia proderet, non facile du-bitabit, qui mille fraudum artificis ingeniosissimi, Diaboli scil. vigilantissimum & acerrimum miseros mortales decipiendi studiû perpendit. Hic enim ut furores & cœcitatem oracula colentium auget, voce, cantu, capitis nutu, aversione, inflexione ad latera, manuum gesticulationibus, blandiore arrisione, oculorum contractio-ne, & minacifrontis corrugatione, aut aliis motibus, signa propitia, vel aliena, averseq; atq; abhorrentis voluntatis edidit ex statu- is, & norunt exempla majores, quæ recitare longum esset. Peucerus de O-raculis loc. cit. p. 96. b. Ludebat igitur, sub hâc simulacri specie Dia-bolus, & hoc exseqvebatur, quod ἐπωδοὶ captarunt & persecuti sunt, ut ab imaginacula vis omnis proficisci visa sit: dicit idem Caspar. Peucer.



1031

Peucerus de *Incantationibus* cit. loc. p. 166. Accedit, quod supra probatum, Autorem Palladii fuisse insignem quendam Magum, Asium nomine, & pluribus mox evincemus, ipsum Palladium pro Magica quadam statua non sine fundamento haberi. Si quis tamen rationibus non contentus, rarioris artis beneficio motum Palladio impressum urgeret, seclusâ Diaboli ope, multum lucis ac roboris tali sententiâ à variis statuis certò artificiò sese moventibus ex Historiarum monumentis addi posse videtur.

§. VII.

Construit scilicet, quod negari nequit, ars *ἀνομήα*, quibus effingit mundi, siderum, aliorumq; corporum circumactus & conversiones, mirasq; motuum species curiosis oculis sistit. I. Rotulis quibusdam ferreis, & dentatis, certò dispositis & coagmentatis ordine, appensoq; pondere, quò illæ impulsæ, tractæq; circumaguntur, & hoc, cui inclusæ sunt, corpus promovent, ut suâ vi progredi, aut circumagi videatur, eò usque, donec vel ea, quæ trahit, moles sistatur, vel qui alligant eam, funes decurrerint. Erant hæc imagines & ex laminis aliquando fictæ, ita ut seipsas moverent. Undè & Ipsiplices dictas veteribus, Josephus Scaliger *notis in Ceirin Virgilii ad v. 374.* ex Festo eruditissimè observavit, quò sensu Cardanus *Lib. XII. variar. rer. c. 58.* *Imagines, statuasq; ambulantes super mensam rotarum abditarum vi aliquoties se vidisse testatur.* Nec rara sunt talia artificia, etiam nostris temporibus præcipuè in *Theatris rerum artificialium Augustis Vindobonensi, Dresdensi, &c.* nec non *Officinis rariorum Artificum.* II. Eundem motum operibus quibusdam tribuit ars per *nervos*: quæ simula-  
*lacra* eapropter *νευροπασα* dixerunt, quasi dicas, nervis moventia, ut vult Rhodiginus *Leet. Ant. Lib. VII. cap. 16. p. 248.* Utitur eòd. verbò Athenæus, nec non in *Symposiò Xenophon, & in Libro de Mudo Aristoteles*, quem locum Apulejus ita est interpretatus, teste Eod. Rhodigino: *Aslucia unius conversionis multa & varia pariter administrant, etiam illi, qui in ligneolis hominum figuris gestus movent, quando filum membri, quòd agitari solet, traxerint, torquebitur cervix, nutabit caput, oculi vibrabunt, nec in venustè totum videbitur vivere, Conf. Herodot. Lib. II. c. 48, Gellius N. Att. Lib. X. cap. 12.* III. Naturali & tractoriâ vi Magnetis: sic non so-

luna



1032

lūm Athan, Kircherus, *Lib. II. de Arte Magnetica Part. 4. p. 2. C. 3.* hujus ope specimen aliquod volantis columbæ, Archytam imitaturus, successu haud infelici proferre allaboravit, stupentiq̄ mundo in hunc usq; diem Romæ spectandum reliquit; sed etiam eadem hâc inaccessâ Magnetis vi *simulacrum Veneris & Martis* se movisse tradit Frigelius *cit. loc. p. 21.* IV, Infusô argentô vivô, ut de Dædali Venere ligneâ citatus modò Figrelus hoc scribit: vel etiam V. inclusô intra cavitatem corporis cujusdam aëre, aut spiritu quôdam aliô. Quâ ratione Mechanicorum ille parens, *Archytas Columbam* ex lignô tam affabrè compegit, ut *libramentis*, teste Gellio *loc. cit. suspensa, & aurâ spiritus inclusâ, atq; occultâ concita volaret.* Ad quod exemplum etiam *Muscam ferream* Norimbergæ è manibus artificis se attollentem, convivas omnes circumvolasse scribit Gassendus ex Ramô *in Vita Purbachii & Regiomontani.* Nec Germanorum quoq; hunc usque diem desunt genti, quibus gloriari hâc in arte possit, quæ sanè in Mathematicis studiis eo pervenit, secundùm Aug. Buchnerum *loc. alleg. p. 29.* ut totius artis gloria penes illam solam resedisse videatur. Docent igitur Historiæ Patriæ, Norimbergam cùm venisset Ferdinandus Imper, aquilam mechanicâ ratione ab Alberto Dureno confectam ei volasse obviam, & in aulam usq; comitatam fuisse. Quam Aquilam, ut & Muscam illam, de quâ paulò ante, tantopere admiratus est Gvilielmus Salustius Bartassus, Gallicus Poeta celeberrimus, ut illas divinis suis hebdomadis inserere, & immortalitati famæ commendare non dubitarit. Plura exempla dabunt Figrelus, Buchnerus, Kirchnerus *loc. cit.* & ex professo hanc materiam excutientes Joh. Baptista *Porta Magiæ Natur. Lib. XX. cap. 10.* & Schottus *Part. III, Lib. III. Mag.* Posset jam quis putare etiam Palladium Mechanicâ, sive Mathematicâ arte ita concinnatum fuisse, ut se movere potuerit, quam opinionem neque absurdam, neque ineptam penitus esse ominor, priori tamen potius modo motum, prodigiosasq; alias vires exercuisse verò similis videtur, cùm statuam Magicam, sive consecratam fuisse, haud dubia adsint argumenta.

Cap. IV.





# Caput IV. FINIS & EFFECTUS PALLADII.

§. I. Cujus boni gratia Palladium coluerint? Utilitate homines duci potissimum. Reges ob beneficia Dei facti. Et bestiae ob utilitatem inter Deos relata. Ob custodiam & securitatem Patriae Palladio divinus honor tributus fuit. Septem Rom. Imperii pignora quae?

§. II. Vires has Palladio tributas fuisse probatur ex antiquitate. Ad depellendum morbum etiam adhibitum. Occasio bujus figmenti. Arca foederis comparata cum Palladio. Ead. vis tributa aliis.

§. III. Inquiritur in hanc miram efficaciam Palladii. Statua τελεσμένη quid, & quomodo aliis nominibus dicatur? Sacrare & consecrare quid Antiquis dictum? in consecratione statuarum quanam observata fuerint?

§. IV. Exempla ejusm. statuarum consecratarum ex Historia Imper. Graec. Varii fines illarum. Sigilla Deorum, & Characteres certi eò adhibebantur. Ipsos

Demonas his statuis inhabitasse crediderunt.

§. V. Applicantur generalia de Magicis statuis ad Palladium. A Mago fuisse conflatum. Asium & Dardanū Magos fuisse. Quid Dardanariae Artes? de Dardanariis apud Ictos.

§. VI. Citantur testimonia eorum, qui Palladium inter statuas τελεσμένης referunt. Idem probatur ex effectibus. Quomodo efficaciam in tuenda Republ. aliquam habuerit Palladium? Diaboli potentia in mancipiis suis quanta? Fefellisse fiduciam in Palladio positam.

§. VII. An jure Palladium coluerint Gentiles? Superstitionis quanta vis in regendo populo. Religionem pro instrumento status quanam habeant?

§. VIII. An in Christianis rebus publ. tolerate fuerint Statuae ejusm. apud Imperatores Constantinopol. Graeci maxime superstitiosi. Statua Mahumetis in Hispania. Arca Toletana comparatur cum Beli sepulcro.

D Hujus





Huius apertio Xerxi periculosa.

§.IX. Parisiorum Tutelares contra serpentes & glires. Gallici Imperii pignora: Ampulla Remensis, Scutum Liliatum & Vexillum splendidum. Angliæ Saxum fatale. Daniæ Vexillum, Danebroga. Cornu Oldenburgicum. Annulus Anhaltinus. Aurum Ranzoviorum &c.

§.X. Iudicium de his generale. Specialia quedam. Si qui effectus, qui tamen dubii valde sunt, unde derivandi? Fiducia preposita hisce statuis tributa Constantinopolitanis exitium extremum attulit.

§.XI. Quo jure fruantur in Republ. inter dolos bonos referuntur. Magicas statuas, utut antiquitate venerabiles non esse tolerandas probatur.

§.XII. Fabulosa hujus narrationis quis usus. Antiquorum scopus in fabulis. Palladis & Penatum significatio, & fundamentum. An S.S. Trinitatis mysterium his tenebris involutum?

§.XIII. Alia adhuc affertur Palladii expositio. Pallas quid Mythologis denotet. Ex horum placitis necessitas Palladii in omni familia, negotiis, & Rebus publ. statuenda.

§. I,

**R**estat, ut quos effectus Palladio assignaverit Gentilium, superstitione, aut quis finis, quodve bonum ad tam exquisitum cultum cæcos mortales impulerit, paulò attentius videamus. Utilitate enim ducuntur plerique, & sic hominum vita est, dicente Cicerone *Or. pro Roscio, ut ad maleficium nemo conetur sine spe atq; emolumento accedere.* Hinc talis olim Ethnicos tenebat opinio, Deos terrestres naturâ esse quidem Mortales, sed propter animi solertiam & beneficentiam pluribus demonstratam immortalitate donatos, atq; hoc nomine in Deorum classibus aliquot etiam Ægypti Reges recensuerunt. v. Vossius *Idol. Lib. I. cap. XXVII. p. 196.* Summa enim indigentia, & miseria, cui omnes obnoxii sumus, Patronos jubet venerari; Unde Perseus Zenonis Auditor, eos, ceu Deos colendos esse asserit, à quibus magna utilitas ad vitæ cultum esset inventa, ipsasq; etiam res utiles & salutare Deorum vocabulis appellatas esse, notum est, quin ipsi illi Ægyptii, qui irridentur, nullam belluam, nisi ob aliquam utilitatem



10332

rem, quam ex eò caperent, consecraverunt: scribit Parens Eloquen-  
 tiæ, Cicero *Lib. I. de Nat. Deor. n. 36.* Trojanos igitur atque Ro-  
 manos, aliosque Palladii basiatores, hujus sui cultus, religiosæq;  
 venerationis præmia, & fructus certissimos sibi pollicitos fuisse,  
 extra controversiam est, Præsertim verò certitudinem felicitatis  
 salutisqve publicæ in ejus præsentia ponebant. Hinc PIGNUS Im-  
 perii dicitur Romanis apud Livium *Lib. V.* Lucanum *Lib. IX.* Flo-  
 rum *Lib. I. cap. 2.* Ejusmodi septem Rom. Imperii pignora (fata  
 appellat Plautus *Bacchid. 917.*) recenset Servius *ad Æn. Lib. VII.*  
*vers. 188.* & sunt: *Acus matris Deum, Quadrigæ fictiles* (de quibus  
 Plinius *Lib. XXVIII. cap. II.* & *Lib. XXXV. c. 12.*) *Vejentorum cine-*  
*res, Orestis sceptrum, Priamive, Ilione, Palladium, Ancilia.* vid.  
 Freisheimius *Not. ad Flor. loc. cit.* Quin & nomen Romæ tam sol-  
 licitè occultatum fuisse, ut vulgò ignoraretur, & in suppressione  
 ejus, non minùs, quàm in occultatione Anciliorum & Palladii *salus*  
*Reipubl. sita crederetur.* Camerar. *loc. cit. Cent. II. cap. 10.* De a-  
 liarum verò gentium pignoribus prolixè & solidè agit Dn. D. Bec-  
 manus in sæpius laudatâ *Differt.* Et ne de hac Palladii, utut fal-  
 sissimè adscriptâ efficaciam ullum relinqvatur dubium, operæ pretium  
 fuerit, ex ipsis Antiquorum monumentis rem arcescere.

§. II.

Prodeat primùm Dionysius Halic. qui *Lib. I. p. 55.* ubi Palla-  
 dii originem exponit, Dardanum ab oraculò hæc admonitum,  
 scribit, versus Græcos ita vertente Sylburgio:

*Perpetuum divis cultum sancibus in urbe,  
 Quam statues, ritusq; coles, sacrisq; chorisq;  
 Nam dum sancta manent regioni munera vestra,  
 Uxori quæ dona tue dedit inclyta Pallas,  
 Vastatrix urbem non tanget dextera Martis.*

Non abit ab hâc sententiâ Cicero, quando *Or. XI. de Signo Palla-*  
*dis securitatem Reipubl. suæ spondet, quò salvo salvi sumus futu-*  
*ri,* inqviens. Suidas *in V. Pallad.* vocat: *φυλάτῃν τὴν βασιλείαν*  
*τῆς Τροίας,* Palladium regnum Trojæ custodivisse. Cedrenus *loc.*  
*cit.* memorat: *Νικηφόρον ὄφασιν, καὶ ἀνάλωτον Δατηρεῖν τὴν πόλιν,*  
*ὡς ἢ δ' ἄποκεῖν),* *vicinosam & expugnabilem præstare eam civitatem,*  
*in quâ sit positum,* add. Camerarius, Rhodiginus, Alexander ab  
 Alex.



Alex. Figrelus *loc. cit.* Huncque finem palmarium Trojani, Romanæque in Palladio spectarunt, vel saltem credulo plebi persuadere ausi fuerunt, ut majorem spem & fiduciam in eò collocaret. Quæ Superstitio tanta sanè fuit, ut Græci se Troja posse potiri, Palladiò non prius ereptò, desperarint. Quare per Diomedem & Ulysses, astutissimos suorum, cum ad Priamum legati essent, surripuisse etiam ait Suidas. Fieri tamen potuit, ut & alterius adhuc, variæque utilitatis causa coluerint olim Palladium. Quemadmodum & Rhodiginus affert *loc. cit. ex Procopio.* Diomedem reddidisse Æneæ Palladium ideò, quoniam ipsi de morbo sciscitanti redditum foret oraculum, non prius ex morbo convaliturum, quam Trojano cuiusdam Palladium restituisset. Forsan iterum hunc à morbo liberandi effectum Palladio affinxit Diabolus ad imitationem Arcæ fœderis, ob cujus retentionem gravissima Philistæis divinitus inflictæ esse mala, Sacer Codex affirmat. I. Sam. IV. & V. Eadem fermè vanitate Polydamantis Athletæ statua dicebatur iis opem ferre, qui febre vexabantur, conf. Paschalius *de Coronis p. 359.*

### §. III.

Ut appareat, quid habendum sit de insigni hæc, Rempubl. feliciter conservandi efficaciam, juvabit annotasse, quòd Palladium fuerit fatalis quædam statua, sive τετελεσμένη, ut Suidas vocat. Consecratam alii dicunt, sive iniciatam: prodigiosam posse appellari contendit Figrelus *loc. cit. p. 11.* *Magica* ejusmodi *Simulacra* vocat Apulejus; Ἀγάλματα θεῶν μεταστάς ἀνάπλευα, Jamblichus: κατὰ μαγίαν τύπος, Eusebius: Συμβολικὰς δαιμόνων μορφὰς Origenes adversus Celsum: *Statuas animatas sensu & spiritu plenas*, Hermes Trismegistus, interprete Augustinò, appellat. Erant siquidem τετελεσμένα illa simulacra, sive Magicæ statuæ nihil aliud, quam Statuæ consecratæ ritu Magico, ut occultis mirandisque potestatibus pollerent. Vel ut plenius eas delineat Eloquentissimus Buchnerus *Orat. I. Vol. II.* *Non nudâ manuum operâ conficiebantur, sed necesse quoque erat, observare certum tempus, certa præterea carmina, ritus, sacra, materias, figuras, & formas adhibere: quibus advocarentur Dæmones, qui incumberent postea illis statuis, atque Cultores*



Cultores suos vel de futuris admonerent, vel ab ingrumentibus malis defenderent, in morbis servarent, deniq; omnes eorum actus successibus prosperis secundarent. Uti enim *Sacrare* dicebatur Δείοντι προσνέμω, divini aliquid attribuere, ut olim in Tribunis, & postea in Imperatoribus, qui propterea *Sacratissimi* dicebantur, sed tantum vivi; ita *consecrare*, Græcè ἀποθεῖν, unde *Apotheosis*, non nisi de mortuis Principibus dicebant, quos inter cœlites retulerant, non divini aliquid, sed Deitatem inesse censentes. Consule his de vocibus Casaubonum & Salmasium *Not. ad Capitolinum in M. Antonino Philosopho. Vossium Idololatr. Lib. I. cap. 12. pag. 96. 97. 98.* D. Georg. Königium *in Casib. Conscient. p. 445.* qui ultimus rectè distinguit inter Consecrationem ad Personas relatam, de quâ in prioribus modò dictum, & inter Consecrationem simulacrorum, statuarum, aliarumq;ve rerum, quæ magis huc spectat: & fiebat, si sermo sit de statuīs τελεσµύαις, I. à Sacerdotibus gentilibus, qui confectores τελεσῶν, inde dicti sunt, quos ad unum omnes Magicarum artium fuisse peritos: tam certum est, ut ne probatione egere videatur Buchnero *loc. cit.* II. Carminibus certis sive præcantationibus, quas Græci ἐπωδαί & ἐπαιοδαί vocarunt. vid. Salmasium *ad Solinum p. 438.* quibus aut mutari cursus naturæ, aut nova vis rebus creatis imprimi, aut dæmones allici impiè crediderunt. Peucerus *de Magia pag. 149.*

§. IV.

Ulterius III. certis locis, quibus scil. transire volebant hostes, defodiebantur, vel erigebantur ejusmodi statuæ: quæ quamdiu manebant intactæ, tamdiu res, cujus gratia defodiebantur, in integro manebat quoque. Refertur huc ab Hofmanno *Lex: Univers. P. IV.* aliisq;ve statua Memnonis, quæ cum matutinò Solis radiò illustratur, æris tinnitum & speciem loquentis præbebat. Plura, qui de eâ desiderat, adeat Tacit. *Lib. II. Annal. c. 61.* Plin. *H. N. Lib. XXXV. cap. 7.* Philostratum *in vita Apollonii Lib. VI. c. 3.* Alex. ab Alex. *Lib. IV. cap. 12.* Athan. Kircher. *Oedip. T. II. P. II. cap. 3. §. 1. p. 234. & seq.* Freinshem. *ad Curt. IV. 8. 5.* Buchner. *Vol. II. Or. 1. p. 28.* Figrel. *de Stat. p. 23.* Dan. Casp. ab Lohenstein. *Not. ad Cleopatram p. 140.* M. Claude Duret. *Histoire des Langues.* Tales Sta-





tuæ consecratæ fuerunt, quas Manuel Imper. Constantinop. pugna-  
 turus cum Pannoniis, dejicere jussit. Dum enim copiæ contrahun-  
 tur, Nicetas in *Annalibus Lib. V.* inquit: *Audit duarum Mulie-  
 rum Aeneorum Statuarum, quæ in occidentali fornice fori Constan-  
 tini sitæ sunt, alteram, quæ Hungarissa dicebatur, erectam  
 stare, alteram, nomine Romanam, vetustate collapsam esse. Quò in-  
 tellecto statim illam dejecit, hanc reposuit: eâ statuarum permuta-  
 tione se fortunam etiam gentis utriusq; mutaturum ratus, & rem  
 Romanam erecturum: Hungaricam de pressurum &c.* Talis fuit  
 apud Bruttios, quam Alericum tradunt retinuisse, ne in Siciliam  
 trajicerent. Vid. Olympiodorus apud Photium p. 70. Statua inau-  
 gurate ibi stans Trajectum vetabat. Fuerat autem hæc antiquitus  
 consecrata, cum ut Aetnæ montis ignis averteret, tum ut maris  
 transitu Barbaros prohiberet. Altero enim pede perpetuū ignem;  
 altero verò perennem aquam gestabat. Eâ statuâ confractâ tandem  
 ab Æsculapiō Præsidente Siciliæ, vi Aetnæ ignis, & Barbarorum in-  
 cursionibus Sicilia vastata est. Nec enim contra homines tantum,  
 sed bestias quoque, morbosque Consecrationes adhibitæ. Sic e-  
 nim Byzantiis adversus Ciconias, quibus infestabantur, erexit tres  
 Ciconias marmoreas τελεσµύας Apollonius Tyanæus, quæ cico-  
 nias urbem ingredi prohibuerunt. Sic Charantis statuâ τελεσ-  
 µύνη erectâ Antiochenses Peste liberavit Lajus quidam Philoso-  
 phus apud Tzetzem. Meminit earundem contra ventorum impetus,  
 maris incursiones, murium & insectorum proventus Reinesius *Lib.  
 VII. Var. Lect. cap. 17. p. 630.* Vid. plura ap. Salmasium ad *Aurelia-  
 num Vopisci p. 254.* Camerarium *Hor. Subcis. Cent. 1. cap. 60.* Ruper-  
 tum *Observat. ad Flor. Lib. 1. cap. 2.* IV. Usurpabantur ad has va-  
 nitates sigilla Deorum, Στοιχῆα, Characteres varii, quibus vel re-  
 citatis, vel adpictis miras atque efficacissimas adscripserunt vires:  
 certa que imprimis ad conficiendas has imagines eligentes tempo-  
 ra, cœli stellarumque positus curiosâ diligentiam, ut erant scientiæ  
 sideralis, Zoroastri exemplò, peritissimi, procul omni dubio ob-  
 servarunt. Exemplis adducta confirmare facile esset, si instituti  
 permitteret ratio: videatur eò Figrelus *loc. cit. p. 15, & seq.* Buch-  
 nerus *loc. cit. pag. 10, & seqq.* Illud adhuc paucis memorandum  
 V. Non satis fuisse superstitioni Ethnicorum in constructione  
 harum



1039.

harum inspexisse sidera, advocandi quoque ipsis præterea erant Dæ-  
mones, qui inditi illis statuis, ea, quæ volebant præstarent. Nam  
quis sanus aut vaticinandi vim, aut averruncandi mala potenti-  
am à truncò inertis, aut lapide inanimato, aut à solis sideribus pos-  
sit sperare? Hinc ipsi pagani palàm confessi sunt, in signis il-  
lis habitare Dæmonas per consecrationem illuc inductos, nec  
amplius meras esse statuas ligneas, aut æreas, sed divinam δὲναι-  
μιν (opinionem saltem cœcissimorum illorum hominum) hisce ri-  
tibus infundi. *Nondum, inquit Minutius Felix, Deus Saxum est,  
lignum vel argentum. Ecce! ornatur, consecratur, tunc postremo De-  
us est, cum homo illum voluit, & dedicavit.*

§. V.

Hisce generatim prænotatis, ut pateret, quid statua ejusmodi  
τετελεσμένη sit, quæque circa illas observent Historici, applica-  
bimus jam dicta ad Palladium, quod, sive spectes originem; sive ef-  
fectus à credulis ipsi attributos consideres, inter eas locum omni-  
um inveniet. De singulis momentis distinctè. Detractò enim fa-  
bularum velò, si natales Palladii genuinos quæras, non in cœlis,  
unde demissum fertur, sed in terrâ Asiæ Minoris inter Magi cujus-  
dam operas enatum fuisse verò quàm simillimum est. Sive jam A-  
sium fabricatorem assumes, sive consecratorem; certè insignem Ma-  
gum fuisse suprâ *Cap. II. §. 3* probatum fuit. Nec aliam sententi-  
am de Palladio concipiet quis facilè, si cum nonnullis *Dardanum*  
habeat pro primo Palladii, sacrorumque ejus fundatore. Si qui-  
dem & illum artibus Magicis olim claruisse constat ex Antiquitate.  
Tertullianus apud Adrianum Turnebum *in Advers. Lib. IX. cap. 17.*  
ait: *ut ipsis jam vocabulis utar, quibus auctrix opinionum istarum  
magica sonat: ostentantes & Typhon, & Dardanus, & Damigeron,  
& Neëtabis, & Berenice. Sed & Dardania artes Columellæ Ma-  
gicæ sunt de Hort. cult. Lib. X.*

*Ast si nulla valet medicina repellere pestem,  
Dardania veniant artes.*

Dardanus etiam ab *Apuleio* inter insignes Magos nominatur: Cui  
adstipulatur harum rerum callentissimus *Peucerus* qui *loc. cit. p.*  
*147.* postquam primos Magiæ autores recensuisset, *illustratum tan-  
dem*



dem, atque absolutum à Democrito hoc studium esse ait, qui integris  
 id voluminibus ex disciplina Apollinica, Captidenis & Dardani Phœ-  
 nicum, explicavit. A Dardano hōc Dardanarii nomen habere vi-  
 dentur, sic dicti, vel quòd eorum maleficiis & venenis Magicis cre-  
 debant annonam averti in ipsorum horrea, & in metiendo men-  
 suram imminui; vel quòd ad contumeliam & probrum magos eos  
 increparent, Dardanarios eos vocantes, cum esset odiosissimum,  
 magiæ, & infame nomen. Conf. de Dardanariis L. 6. ff. de Extraord.  
 Crimin. Ubi Ulpianus *annonam adtemptare & vexare vel maximè*  
*Dardanarios solere dicit.* Quod Dionys. Gothofred. in Not. expo-  
 nit ex Cujacio fieri ab eo, qui non vendit justo pretio annonam.  
 Et eleganter Turnebus T. II. *Advers. Lib. XXI. cap. IV. p. 221. flagellare*  
*divitias, & flagellare annonam dicuntur qui magnas arcis clausas*  
*tenent opes, & horreis fruges, quòd invitæ velut verberibus & car-*  
*ceribus coërcitas erumpere foras non sinant.* Quod in annonâ, qui  
 faciunt, eam duriores reddunt & onerant coëmptis undiq; frugibus,  
 & in horreis reconditis, qui & Dardanarii vocabantur, quasi vene-  
 ficio in horreâ suâ fruges contruderent, & annonam premerent, ut  
 carmine aliò messes traduci, opinio erat,

## §. VI.

Jungi huic argumento possunt testimonia gravissimorum Scri-  
 ptorum, qui disertè inter consecratas statuas referunt Palladium.  
 Svidas sanè signum parvum lignum τετελεσμένον fuisse, expressè  
 dicit. Johannes Antiochenus πρὶ ἀρχαιολ. inquit: *Palladium Trojæ*  
*animalculum exiguum fuit, ab Asia Philosophò quòdam κατασκευ-*  
*ασθέν εἰς Φυλακὴν τῆς πόλεως ad custodiam urbis preparatum.*  
 Qui Asia τελεσῆς vocatur apud Svidam. Veteres Grammaticos  
 non aliam de Palladio fovisse sentiam docet Joh. Jac Hofmannus  
 in *Lex Univers. Tom. IV.* scribens: *παλλάδιον τὸ ἦν ζώδιον μικρὸν*  
*ξύλινον, ὃ ἔλεγον ἦναι τετελεσμένον Φωλάτην τῆς Ἐασιλείαν τῆς*  
*Τροίας.* Ut alios recentiorum plures, *Camerarium maximè & Figre-*  
*lium taceam.* Paria dicenda, si quis vires ipsi vulgò attributas  
 attendit, quomodo enim immunitatem, securitatem, aut custo-  
 diam ab inermi imagine, aut lapide quis sibi promittat, nisi impiâ  
 quâdam superstitione ductus, à Magica consecratione accepisse,  
 Somniet.



1041  
5701

somniet. Effectus igitur in tuendō Imperiō, si aliquis Palladio assignandus venit, eatenus saltem competit, quatenus ejus præsentia, tanquam certissimō Dei Tutelaris auxiliō animabantur, & excitabantur fascinati Cultores; & sic majorib⁹ viribus, & animis, omniq; contentione ad defendendam Patriam & armis & consiliis incumbabant. Quàm efficax enim spiritus malignus in mancipiis suis sit, quanta etiam validioris spei ac fiduciæ alicujus, semel credulorum animis infixæ penitus, atqve impressæ vis, ac potentia existat, & sacer Codex indicat, & prudentum sententiæ confirmant, & ipsa quotidiana, sed tristissima, testatur experientia. Interim tamen fefellisse Palladium, & Trojæ excidium, & Romæ expugnatio, & Byzantii ruinæ satis indicant, adeoq; lubricum, fallax & infirmum præsidium clientibus suis miseris præstitisse, in aprico est.

§. VII.

Cùm igitur tam vanum, suspectum, imò magicum & impium fuerit Palladium, quæritur, quo jure apud Trojanos toleratum, tantoqve cultu affectum fuerit. Sciendum igitur ex mente Ethnicorum non fuisse vanum, sed sacro-sanctum, præsertim simplici vulgo, adeoqve ceu pars sacrorum religiosâ veneratione excipiendum semper. Et utut prudentiores etiam Ethnici fraudes, & infirmitatem talium Imperii pignorum facilè animadverterint, in usus tamen suos & reipubl. verterunt. *Nulla enim res, dicente Curtio Lib. X. cap. 7. multitudinem efficacius regit, quàm superstitio: alioquin impotens, seva, mutabilis, ubi semel vanâ religione capta est, melius vaticibus, quàm ducibus paret.* Hanc superstitionem potius, quàm religionem veluti philtum obtulerunt suis, ut loquitur Lactantius *Lib. I. cap. 22.* Numa Pompilius, Scipio Africanus, L. Sulla, Q. Sertorius, Minos, Pisistratus, Lycurgus, Zaleucus, quos legimus apud Valerium *Lib. I. cap. 2.* quæ cum Diis Deabusqve colloquium, consortiumqve fingeant. Ipse profectò Polybius *Lib. VI. cap. 54.* ridet superstitiones, quas tamen ad retinendam in officiō multitudinem accommodatissimas esse censet. Plura hanc in rem suppeditabit Christ. Forstnerus in *Hypomnemata. Polit. LXXIII. p. 238. & seqq.* Dn. Pufendorff. *Introd. in Historiam*, ubi solidissimè ostendit Romanos risisse vanitatem Auguriorum, & religionem habuisse pro instrumento *Status P. I. cap. I. §. 14.* Machiavelli *Asseclas idem statuere patet ex Clasen. Cap. III. de Religione Politica.* Add. Conringius

E

gius



1501  
1042  
gius *Exerc. Polit. de Majest. Civ. autorit. & offic. circa sacra*, ubi §. 68. prudentissimè observat, permultum religionis paganæ superstitionem & Græcis & Romanis nocuisse, quod egregiè etiam adversus Machiavellum demonstravit Vir doctissimus Hieronymus Osorius *Lib. III. de Nobilit. Christianâ.*

§. VIII.

Aliud verò pronuncian- dum de iis, qui Christi nomen & sacra tuentur, an & penes illos cultus aliquis & religio Palladiorum vigere possit, & debeat, uti & Constantinopoli regnantibus jam Imperatoribus Christianis superstitionem hanc obtinuisse adhuc, nonnulli opinantur. Illud negari nequit, apud Imperatores Græcos Palladia quædam & consecrata urbis finiumque munimenta maximam habuisse vim atque efficaciam, vid. *Camerarius loc. cit. ubi ex Leunclavio recentiora quædam exempla hujus detestandæ impietatis habet.* Græcos sanè ejusmodi nugis & superstitionibus deditos fuisse, & seriis omissis, ludicris fallacibusque præsidii incubuisse passim queritur idem ille: imprimis *Cent. II. c. XI.* adducit: *hodiè adhuc Constantinopoli extare, rectè quidem neglectam, & à paucis observatam, miram tamen & antiquissimam figuram marmoris incisam statuam in ædibus angularibus urbis Peræ propè portum Byzantium in publicâ plateâ prætereuntibus conspicuam.* Figuras, vim, & explicationem vid. ap. Eundem. Ita, ut ad alia progrediar, mirum fuit sanè idolum, vel statua fatalis ante & circa tempora Caroli M. in *Hispania*, si vera sunt, quæ sub *Turpini* nomine circumferuntur de *Rebus gestis Caroli M. cap. 4.* Id *Pseudopropheta Mahumetem*, suò nomine attributò, fabricasse, & Dæmoniacam legionem quandam suâ arte Magicâ in eâ sigillâsse dicunt, tanto robore, ut à nullo frangi potuerit. Plura de eò, & quomodo Saracenis excidium attulerit, legi possunt apud *Camerarium Cent. III. cap. 14. pag. 47.* Ut nihil jam afferam de *Toletano palatio, & arca fatali* ibi repositâ, de quâ vetus & constans fama fertur, nec eventu planè destituta, eâ clausâ salvum fore Hispanorum Regimen, reseratâ, idem fore concussam. Plenior descriptionem quære apud *Rodericum Toletanum de Rebus Hispan. Lib. III. cap. 17.* nec non apud *Camerarium*, qui inde excerpfit, *Cent. I. cap. 60.* & aliò locò, scil. *Cent. II. cap. XI.* hujus arce fatalis reclusionem ex avaritiâ & curiosâ nimis futura cognoscendi cupiditate factam neque gentilibus, neque

iis



1093.  
770i

iis, qui Christiani perhiberi voluerunt, impunem vel innoxiam  
fuisse ostendit, & ex *Ælianô Histor. Var. Lib. 3. cap. 3.* observat, *Xer-*  
*xem, Darii filium effosô vetusti Beli monumentô urnam vitream, &*  
*simul columnam exiguam reperisse, in quâ scriptum continebatur:*  
*eum, qui sepulcrum aperuisset, nec urnam replevisset, pessimè habitu-*  
*rum.* Quô lectô, *Xerxes expavit, & oleum celerrimè jussit infun-*  
*di, sed neq; sic impleri potuit, donec frustratus omni labore infun-*  
*dendi cessaret, clausôq; monumentô summa cum mœstitia discederet.*  
*Neq; verò falsum eum habuerunt, quorum prænuncia significatrix*  
*extiterit columna. Nam quinquaginta myriadum exercitu adversus*  
*Græcos conscripto, magnam cladem accepit, reversusq; turpissimâ*  
*morte vitam finivit, noctu in stratis à proprio filio peremptus.*

S. IX.

Sed omissis gentilibus ad Christianos revertamur. In quo-  
rum mediô, ac sede, *Christianissimi* Regis qui fulget titulô, *Gallia*  
nimirum adhuc aliquam Palladiorum adesse speciem, non adeò  
magnâ operâ demonstrari potest. De *Lutetia Parisiorum* memo-  
riæ prodidit *Gregorius Turonensis, Hist. Franc. L. 8 c. 3.* *Parisianam*  
*urbem consecratam fuisse antiquitus, ut non ibi incendium prævale-*  
*ret non serpens, non glis appareret.* Nuper autem addit *Camerarius,*  
*cum cuniculi pontis emundarentur, ut cœnum, quô repletus fuerat, au-*  
*ferretur, serpentem, gliremq; æreum reppererunt, quibus ablatis, &*  
*glires extra numerum ibidem, & serpentes apparuerunt.* Alia ad-  
huc nobiliora crepant *Galli Cimelia* tria scil. *illa pignora de cœlô*  
*missa Imperii Gallici sempiterna, Scutum Liliatum, Ampullam Re-*  
*mensem, & Vexillum splendidum.* Nec fert instituti ratio, ut in-  
singulorum naturam inquiramus, videantur, qui præclaram hîc o-  
peram navarunt, pluresq; Autores hanc in rem citarunt, *Dn. Bec-*  
*manus, non modò in laudatâ Dissert. de Pign. Imperii Cap. V. §. IV.*  
*sed etiam in Notitia Dignit. Illustr. Dissert. IV. de Inauguratione*  
*Reg. Cap. II. & Gisbert. Voetius disput. Select. Tom. II. de Signis &*  
*miraculis p. 1028. & seqv.* Pariter & *Angliæ Reges fatale saxum*  
perpetuæ successionis suæ firmissimum, ut vulgus opinatur, pignus  
possident, *Londinum è Scotiâ per Eduardum translatum.* De quô  
prolixius in locis citatis. De aliô quôd: *lapide fatali, sive Prophe-*  
*ticô scribit Petrus Bizarrus ap. Camer. Hor. Subcis. Cent. II. pag. 43.*  
Nec aliis Rebus, defunt fatalia signa, & salutis patriæ munimenta



Sic Dani *Danebroga* Vexillum in deliciis habent, Waldemaro II. contra Livonos in auxilium cœlitus missum, ac deinde magna semel religione velut Regni Palladium aliquod custoditum: quod peculiari *Tr. de Origine Eq. Ord. Danebrogici* delineavit Thomas Bartholinus. Ut nihil de *Cornu Oldenburgicô* dicam OTTONI I. inter sylvas erranti à Virgine in spem salutis, perennitatisq; familiæ oblatô, & in nostra usqve tempora custoditô, nec de *Annulô Anbaltinô*, vel de *Aurô Ranzoviorum* hîc afferam: quæ apud citatos pluribus descripta legi possunt.

## §. X.

Quid habendum de his, ut generatim dicamus, tenendum, (I.) Effectus eorund. utut insignes habeantur, manere tamen dubios, cum ipsi Scriptores rem in medio relinqvant. *Ex ingenio quisq; suo in utramq; partem statuunt. Nobis neq; confirmare argumentis, nec refellere animus erat*, inquit Mariana de Arcâ Tolentanâ *Lib. VI. cap. XXII.* (II.) Totam Historiam de Origine horum eisdem subjacere exceptionibus, quibus miracula reliqua Pontificiorum, judice Voetio *loc. cit.* Ut de Ampulla Remensi, Auri flamma, & Scuto Liliato ipsi Scriptores Galli dubitent, vid. Chiflet. *de Amp. Rem. Cap. III. IV. V.* In specie (III.) observandum, aliquid superstitioni illorum seculorum tribuendum, ad quæ origo talium est referenda. Homines ergò semel fiducia, licet erroneâ sublimioris potentia alicujus, vel miraculosi auxilii imbuti, majori cura negotiis suis invigilarunt, sicqve majora fortunæ suæ incrementa consecuti, possessioni Pignorum malè adscripserunt, quod aliis longè causis assignandum fuisset. (IV.) Fiduciam in Palladiis collocatam de perenni salute turpiter fefellisse, ex observatione constat. De Antiquioribus Palladiis demonstratum hoc fuit supra §. VI. *huj. cap.* De aliis graviter hoc inculcat Camerarius, quando *Hor. Opr. Subcis. Cent. II. p. 44.* inquit: *experientia testatur, eos qui statuis, prædictionibus, tabulis, & aliis superstitionibus fidem nimis facilem adhibuerunt, licet nonnunquam illis aliquantisper impune fuerit, non rarò etiam prosperè cesserit: tamen tandem tristem eventum, ac perniciosum exitum sensisse, idq; ferè Innumeris Historiis demonstrari absq; difficultate posset. Memorabile autem imprimis est exemplum, quod Constantinopolitanis in obsidione, & occupatione luosissima postrema, An. Chr. c. L. CCCC. LIII. accidit. Oraculo scilicet Veteri*

Veteri



1040

Veteri nimis crediderunt, quod denunciatum, fore, ut hostem jam inter muros & portas receptum, in loco fatali, qui ab Aeneo Tauro nomen habuit, repellerent. Freti igitur hoc oraculo, cum jam Turcae moenia pulsus propugnatoribus transcendissent, major pars in Taurum confluit, reliquosque attraxerunt, sperantes, hostem inde repellere, & patriam in fatali loco conservare. Verum aliter evenit, nam tanta consternatio fuit civium, tantaque impressio hostilis, ut potius per averfam portam versus mare ad naves fugam sibi salutem quaererent, quam Turcis fortiter resisterent. Imo hoc oraculo freti, portam occluserunt, atque ut cogi non possent ad eam denovo referendam, claves extra muros projecerunt: ita vanitas hujus vaticinii cum ipsorum excidio, & urbis direptione mox apparuit.

§. XI.

Quo Jure igitur in Rempubl. semel recepta, & diu asservata, fruuntur Palladia, disquiri posset. Equidem quamdiu intra Rempubl. stant, nec palam improbari posse, quia publicam fide recepta sunt, judicat Dn. Becmanus, tueri itaque se jure externum, & si vera non sunt, pro veris tamen habenda *Cap. II. Diff. de Pignor. Rempubl. §. 12. & Cap. V. §. IX.* inter dolos bonos Virorum Illustrium, obtinendi majoris boni causa inventos pronunciat. Palladium tamen aliasque statuas consecratas quod concernit, utut antiquitas jam recepta fuerint, dum superstitionem populi augent, fiduciamque in auxilium Divini Numinis ponendam ad se deflectunt, rebusque frivolis, ludibriisque Diaboli applicant, in Republ. Christiana minimè toleranda, sed tanquam impia Magica & deceptoriam Diaboli instrumenta detestanda esse, arbitror. Possem hic commemorare laudatissimum quorundam Imperatorum institutum, qui consecrationem statuarum, quas Rectores Provinciarum hinc inde Imperatoribus crexerunt, utut multum à Magicis incantationibus diversam sustulerunt; sed vid: hic Mornacius, qui *Observat. suis ad l. 1. Cod. de Statuis & Imaginibus*, postquam ritus in consecratione statuarum adhiberi solitos recensuit, addit p. 112. *Qui tamen consecrandi mos, ut accedere ad impias veterum adorationes visus est, abest jam diu indevetudinem Christianis, tantumque, hodie ex provinciis conveniunt legati ad novum Principem, ut ei gratulentur, jurentque, fidem & obsequium.* Et quicquid sit de Romanis, aliisque imperantibus, religionem pro instrumentum Status adhibentibus, placet



1046  
cet judiciū πολιτικότη Forstneri, Christianò Politicò dignissimū, quod affert Hypom. Polit. LXXIII p. 240. Et hoc quidem, inquis, religionis mercimonium in profanis Ethnicorum Regibus prudentia videri possit: Christianos autem Principes ea decet sententia, timorem, & amorem DEI OPT. MAX. felicissimam esse gubernandi populos artem: neq; sine ultimo scelere nomine divinò abuti licere ad regendas ambitionis & avaritiæ nequissimas artes.

§. XII.

Eruimus tandem Palladium ex cœcis his Gentilium tenebris, quibus profundissimè immersum inter rudera fabulosæ antiquitatis delituit, & tantum non evanuit. Et quamvis tantâ cum virtute, aliisque ridiculis & nunquam conciliandis circumstantiis vestitum Palladium extitisse vix probabile videatur, ut hactenus ostensum satis, aliquid tamen etiam sub illò fabularum involucrò veteres abscondidisse certum est, & à nobis hâc vice eruendum. Nam altiora fabularum sensa perscrutantes rectè, quid utile humana vitæ sub illis contineretur, debemus investigare, è quò plurimum reportabimus utilitatis, illis interim neglectis, quæ nihil nobis conferre videbuntur: prudenter admonet Natalis Comes, ipse Mythologiæ excultor solertissimus Lib. I cap. 3. Nolo verò hic commemorare pluribus, quòd per Palladem intellexerint Sapientiam, quæ quoniam res est divina, & Dei munus, dicitur à nonnullis meritò Minerva è Jovis capite fuisse nata, quomodo memoriæ & sapientiæ sedes est caput, in quò divinum est & incredibile DEI & naturæ opificium. Dicta est Jovis filia, cui uni Jupiter suas vires impertivisset: quia Deus maximè amat virum sapientem neque ulla potest esse sapientia vera, quæ à Deò dissideat. Nata est armata, quòd nunquam inermis est animus sapientis ad eventus fortunæ vel consiliò, vel patientiâ superandos. Hanc Deam Populatricem Civitatum appellarunt, quia plurimum possit sapientia & consilium in rebus bellicis. Reliqua Palladis requisita, & nomina ad sensum moralem, quin & doctrinam naturalem reducta legas apud Vossium de Idol. Lib. II. cap. XLII. & LXXXIV. & imprimis Lib. VIII. cap. XII. p. 395. & seq. Com. Natalem Mythol. Lib. IV. c. V. pag. 304. & c. Jac. Masenium Soc. J. in Speculo imag. Cap. XXIV. pag. 320. & seq. Joan. Pieriū Valerian. Hieroglyphic: aliosq; Mythologos.

§. XIII.



1047

Placet etiam afferre] non minùs piam, quàm doctam Vosii conjecturam, quàm de Penatibus & Magnis Deis proponit *Lib. VIII. de Theol. Gent. cap. XII. p. 397.* Ea scilicet tria Capitolii Numina, Jovem, Palladem, & Junonem, non primùm ità sociata fuisse à Romanis, sed Romanos, Macrobio teste, accepisse à Trojanis è Phrygia advenientibus: esseque eosdem, qui Samothracæ & supra à nobis dicti sunt; quæ res vetustatem erroris ostendit. Et tamen tam antiquus error ab antiquiori veritate videtur originem cepisse. Nam quid obstat, quò minùs hæc opinio de tribus Diis Samothracibus reliquæ sint depravata paulatim ex traditione vetustissima à Noachò, DEI amicò, accepta, de DEO Patre, Filiò, & Spiritu Sanctò, quò pactò Jupiter sit DEUS Pater, Deitatis Fons & Principium, ac propterea (modò genuina sit pronuntiatio, quàm præferunt puncta Masorethica) Jova nuncupatus: Indeque fuerit antiquus Nominativus Jovis, Enniò, & veterum aliis usurpatus. Minerva, Filia Jovis, videtur significare τὸν Λόγον, (Verbum Dei Substantiale) Nec prohibet, quòd illa sequioris sit sexus. Sapientiores enim gentium non agnovere in Diis sexum. Et in appellatione ea, quæ Samothracæ usi, non erat muliebri nomen. Præterea valdè de Λόγω firmat, tum quod is sit Sapientia Dei, & Minerva similiter Sapientiae Præses: tum quòd Jupiter dicatur, non ex Junone suâ, sed singulari ratione, è cerebro videlicet, τὸν Λόγον genuisse. Jam quod ad Spiritum Sanctum: pro eò inducere Junonem, amorem & delictum Jovis: ut & eundem Spiritum Amori assimilant Scholastici. Ostendit porrò antiquitatem hujus Samothracæ religionis, atque ex Eusebio haud procul à diluvii temporibus arcessit: ut mirandum non sit, si in Noachi posteris, etiam ubi ad falsam religionem deventum, aliqua superfuerint reliquæ arcani sensus de vero Numine. Hinc ergò tantus Palladio honor, tam secretissima colendi illud pro Tutelari Numine ratio, utut posterioribus sæculis insigniter corrupta. Non parùm piam illam Vosii conjecturam roborare videtur Minerva sub peplum apud Ægyptios culta, cum inscriptione in basi: *Ego sum, quicquid fuit, est, & erit: nec meum peplum quisquam mortali unquam retexit.* Significare enim sapientiam divinam, quæ mortali ingenio sit inscrutabilis, indicat Masenius in *Specul. Imag. loc. cit.* allegans



1048  
TC  
1200

gans pro se Georg. Venetum Armon. fol. 36. & Calcagn. L. de Reb. Ægyptiacis. Certè nomen hoc Effigiei Mi nervæ adscriptum non planè abluere ab illo, יהיה אשר יהיה *ero, qui ero.* Exod. III, 14. 15. quò tanquam propriò & essentiali, nomine DEUS per Mosen Israelitas de Eductione ex Ægyptò certissimos reddere voluit, ad oculum patet. De quò tamen Theologi pluribus agunt.

§. XIV.

Nos illud adhuc circa densissimas, ac inextricabiles, quibus se gentilium de Deò doctrinâ involvit, difficultates, meritò observamus, quòtò hâc parte ab Ethnicis faciliùs & foediùs erratum, tantò majores nos Deo gratias agere debere, quòd illa etiam, quæ poteramus *Natura lumine cognoscere, tradere nihilominus voluerit verbo suo: cæcarum verò nationum eò majori nos tangi misericordiâ æquum est, quòd illis non æque eadem affulserit felicitas.* Restat tamen planior, & minùs salebrosa interpretandi hanc de Palladio Fabulam via, quam ingressus est Natalis Comes Lib. IV. per Palladium intelligens sapientiam, quæ cum omnibus & civitatibus, & privatis domibus moderetur, tamdiu civitas incolumis & inexpugnabilis erit ab hostibus, quam diu incolume in ea & inviolatum servabitur Palladium. *Quid hoc significat, Dii boni inquit ille pag. 307. An adeò stupidi sunt homines, ut nesciant neq; lapideam, neq; ligneam, neq; æream statuam, per hæc rectè significari? an credendum est, statuarios esse in cælo, è quorum officinis, ut primùm absolute sunt, ad nos aufugiant? Quid hoc est monstri Dii boni? Quis non intelligit mirificam quandam sapientiam sub hâc fabulâ occultari?* Nam civitas illa, in quâ religio ac Deorum metus parvi fiat, in quâ Sapientiâ desit in rebus publicis administrandis, in quâ justitia nulla sit, in quâ non viri boni, sed opulenti & gratiosi summæ rerum præficiantur, diutiùs consistere non potest. Ast ubi sapienter omnia gubernantur, neq; ulli impunè fit injuria, tunc inviolatū persistit Palladium, neq; ulla vis est humana, quæ civitatem illam vel possit, vel cupiat evertere. Porro dicitur Palladium è cælò delapsum, quia res divina est sapientia, cujus initium est timor Dei. Plura de explicatione Palladii & de illius applicatione ad res naturales suppeditabunt Nat. Comes, & alii.

Nos memores propositi hîc ponimus terminum.

S D. G.

1077



1006



Handwritten text on the paper, possibly 'O' or '1006'.

PAI

Handwritten text on the paper, possibly 'Benevol'.

MAJOR

AD. K. M. V.

PETRO

Typis JOHANNIS

